






Ars
(magica)



ARS MAGICA

SIVE

MAGIA NATVRALIS ET ARTIFICIOSA, STVPENDOS ET

abstrusos effectus, virtutes, & secreta in Elementis, gemmis, lapidibus, herbis, & animalibus secundum certas astrorum ac constellationum figuras & sigilla, horasque planetarias exhibens.

Antehac nunquam visa, cognitave.

NVNC PRIMVM EX VETVSTISSImis veterum Sophorum, & artis Magicæ peritissimis Artificibus eruta, & ob insignem utilitatem ac jucunditatem luci publicæ commissa.

Cui præit

MAGIA SVPERSTITIOSA

De dæmonum variis generibus, faunis, satyris, lamiis & spectris, eorumque operationibus diversis disquisitio plane recondita.


Cum Elencho Capitum.



FRANCOFVRTI,

Apud Antonium Hummium.

M. DC. XXXI.



PROOEMIVM.

DE Magia dicturi, præmisimus, benevole Lector, disquisitionem de variis dæmonum generibus, & diversis eorundem operationibus, restare videbatur, ut quęstiones quasdam ad dæmonis, sive genii cujusq; cognitionem adipiscendam, adiungeremus, quas in vestibulo huius opusculi affigere placuit: Eæ igitur sic habent:

QVÆSTIO I.

An vnicuique homini datus sit spiritus malus & Diabolus? Et an animæ impiorum fiant Dæmones post suam à corpote separationem?

QVemadmodum vnicuiq; homini datus est Genius seu spiritus bonus,

nus, ita etiam ei assignatus est malus atq; diabolicus; quorum uterque vnionem quærit cum spiritu nostro illumq; ad se allicere & attrahere summa ope nititur, atque, vt illi non aliter, quàm vinum aqua commisceatur, omni conamine tentat: Homo igitur inter hos duos concertantes medius est, & loco liberi arbitrii sibi est, ita vt victoriam, utri vult præstare soleat: Bonus enim spiritus seu Dæmon per bona opera ipsi conformia nos sibi similes reddit, & in Angelos vniendo nos sibi transformat. Hinc Malach. 4. 6. *de Iohan. Baptista dicitur:* Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. *De qua transmutatione & vnione alibi scriptum est,* qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum eo. *Sed & mali Dæmones malis actionibus nos sibi conformes, & vnitos reddere student: Id quod etiam ex Christi verbis*

elice-

elicere possumus, quibus de Juda *inquit*; Nonne ego vos elegi duodecim, & vnus ex vobis Diabolus existit? *Atque hoc idem arguere videtur* Trismegistus; Quando Dæmon in humanam influit animam, semina propriæ notionis inspergit; *Vnde anima talibus seminibus conspersa, furore prægnans parit inde mirabilia, & qualiacunq; Dæmonum sunt officia: Bonus enim Dæmon, quando influit in animam sanctam, extollit eam ad sapientiæ lumen; malus verò Dæmon in prauam trāsfusus animam incitat eam ad furta, homicidia, libidines, & quæcunque malorum Dæmonum sunt officia: Boni enim Dæmones, teste* Jamblico, *animas perfectissimè purgant, ipsiq; præsentes, dant corpori sanitatem, virtutem animo, menti securitatem, quod in nobis est lethiferum delent, calorem fovent, efficaciorem reddunt ad*

 vitam,

vitam, & harmonia intelligibili menti lumen semper infundunt. Cæterum de eo magna videtur inter Philosophos suboriri disputatio, An animę hominum fiant Dęmones post suam separationem à corpore: *Magorum quidem sentẽtia est, teste* Porphyrio, *animas in naturã Dæmonum converti ac pernitiosas, uti illi sunt, fieri: Quorũ sanè opinio verbis Christi de* Juda Ischariothe, *confirmari videtur: Atq; illi etiam expressis verbis adstipulari videtur* Mercurius Trismegistus, *cùm dicit:* Anima vtiq; prava, cùm Dæmon efficitur, ad obsequium Dei jubetur igneũ capessere corpus, inde in animam transfusa nefariam, eam flagellis verberat peccatorum, *&c. Bonorum autem animæ virtute administrationum bonorum Dæmonum in naturam Angelorum transmutantur.*

QVÆST.

Angeli cœli empyrei, mentis duces, natique custodes, qui Planetis & Dæmonibus eorundem prædominantur.

SEcundùm *Hebræorum patres etiam Magi recentiores, ac præcipuè* Trithemius Abbas, *vir ille sapientia admirabili præditus, Angelū Saturno attribuere videtur* Orifiel *dictū, qui & ab aliis* Zabkiel *nuncupatur, Ioui* Zachariel, *vel, vt alij volunt*, Zadkiel, *Marti* Samael, *vel juxta alios* Camael, *Soli* Michael, *licet alij* Raphaelem *ei, minùs tamē rectè, vt mihi quidem videtur, assignent: Nam uti* Michael *dicitur in Apocalypsi esse quasi dux belli spiritualis, qui Diabolum deorsum suo cōductu propulsavit, cælumque empyreum, ab ejus lite & contentione, ac ab omni impuritate liberavit, sic etiam Sol cælestis potestatem habet vitæ, mundificationis, multiplicationis, & summæ fortitudinis*

ac ſplendoris in mundo viſibili, & quidem eò magis, quoniam Deus in eo poſuit tabernaculum ſuum. Véneri præſidet Angelus Aniel, *Mercurio* Raphael, *atq; Lunæ* Gabriel. *Atq; hoc eſt, quod aſſeuerare videtur* Trithemius Abbas, *hiſce verbis: Veterum ſententia eſt plurimorum, mundum hunc inferiorē ordinatione primi intellectus, qui Deus eſt, per ſecundas intelligentias gubernari: quorum opinione* conciliator Medicorum *aſſentiēs dicit:* Septem planetis, ſpiritus ſeptem à principio cœli & terræ præfectos, &c. *Hi ergo Angeli ſeptem ſunt illi potentiſſimi, quorum dominio non modò ſtellæ erraticæ, verùm etiam ipſi Dæmones Olymplici, quibus à planetarum creatione ipſis immediatè præeſſe datum eſt, actum ſuum habent: Nam vt Deus Monas Angelos cœli empyrei reſpicit, ſic etiam illi hos cœli ætherei, at-*

que

que hi denique istos cœli elementaris.

QVÆST. III.

De spiritibus Olympicis, ac primùm de iis, qui subjiciuntur prædictis Angelis empyreis, à quibus Genius nativitatis procedit.

SPiritus illos vocant Magi Olympicos, qui in firmamento, & in astris firmamenti habitant; quorum officium est fata decernere & fatales casus administrare, quatenus id Deus approbauerit, ordinauerit, & permiserit; Nam neq; malus Dæmon, neque malum fatum citra aut vltra ordinationem Dei altissimi nocere potest. Quilibet verò spirituum Olympicorum, hoc docebit & efficiet, quod Astrum, cui assignatur, portẽdet: & tamen omnes sine permissione diuina nihil in actum deducere possunt: Solus enim Deus est, qui & posse & efficere illis dat: & proinde, quando malum fatum important à su-

periori Angelo, in quo nihil mali est, per voluntatem divinam corriguntur: Parent igitur Deo conditori omnium tam supercœlestia & cœlestia, quam sublunaria & infernalia.

QVÆST. IV.

De spiritibus Olympicis dominium immediate habentibus in Planetas.

ARatron *est spiritus* Saturni, *qui natum reddit aptum ad gravitatem & contemplationem, docet Alchimiam, Magiam & Physicam.*

Bethor *gubernat ea, quæ* Jovi *adscribuntur, ad maximas dignitates evehit offert thesauros, aereos conciliat spiritus, qui vera dant responsa, medicinas miraculosas in suis affectibus reddit, & solet longam promittere vitam.*

Phuleg *præest* Marti, *& ejus attributis, qui evehit genitum ad summas dignitates in re bellica;*

Sol

Sol *dat spiritus præstantissimos, qui docent perfectam medicinam, convertit omnia in aurum pretiosissimum & lapides pretiosos, dat aurum & crumenam auropullulantem:*

Hagith *spiritus* Veneris *gubernat Venerea. Quē suo dignatur charactere, facit affabilem & ornatum omni decore, cuprum convertit in momēto in aurum & è contra aurum in cuprum.*

Ophiel *est spiritus* Mercurii *& gubernator Mercurialium.*

Luna *dat spiritus familiares, qui facilimè docent omnes artes; & quem suo charactere dignatur, facit posse in momento argentum vivum convertere in lapidem Philosophorum.*

QVÆST. V.

De spiritib. Olympicis seu Angelis, qui mansionibus Lunæ prædominantur.

S*Vnt etiam* 28. *Dæmones, qui præsunt cuilibet Lunæ mansioni, inci-*

 piendo

piendo scilicet à prima mansione, Geniel, Enediel, Amixiel, Azariel, Gabriel, Darachiel, Seheliel, Amnediel, Barbiel, Ardefiel, Neziel, Abdiznel, Jazeriel, Ergediel, Ataliel, Azeruel, Adriel, Egibiel, Amutiel, Kyriel, Bethnael, Geliel, Requiel, Abrinael, Aziel, Tagriel, Atheniel, Amnixiel. *Qui quidem spiritus conueniunt cum natura mansionum Lunæ.*

QVÆST. VI.

De Dæmonibus Olympicis, qui imperant signis Zodiaci.

PORRO *etiam Dæmon peculiaris præest cuilibet duodecim signorum: Verbi gratia:* Arieti *præsidet* Malchidael, Tauro Asmodel, Geminis Ambriel, Cancro Mariel, Leoni Verchiel, Virgini Hamael, Libræ Zuriel, Scorpioni Barchiel, Sagittario

tario Adrachiel, Capricorno Hanael, Aquario Cambiel, & Piscibus Barchiel: *De his secundum Magos scriptum est in Apocal. vbi dicitur, quod in 12. portis noua vrbis, 12. Angeli sint collocati, &c.*

QVÆST. VII.

De spiritibus elementaribus, & mundi plagis præsidentibus.

S*Ciendum est etiam, quòd in regione mundi infima spiritus siue Dæmones reperiantur multorum officiorum: cùm alii 4. ventis præsint, atque præfecti sint quatuor mundi partibus: Sed quia venti sunt spiritus à Deo procedentes, ideò eorum dominia attribuuntur Angelis supremæ regionis: Quare* Michael *præfectus est vento Orientali,* Raphael *Occidentali,* Gabriel *Borea, &* Nariel *siue* Vriel *Austro: Similiter elemento aeri præest* Cherub, *aquæ* Tarsis, terræ Ariel, *igni* Seruph,

tuph, *vel juxta* Philonem Nathaniel. *Quisque autem horum spirituum grandis princeps est, & habens potestatē multæ libertatis in dominio suorum Planetarum & signorum, atq; in eorum temporibus, annis, mensibus, diebus, & horis, & suis elementis, ac partibus mundi, & ventis adeoque dominatur unusquisq; eorum pluribus legionibus. Hi conducunt ad dispositionem corporis humani in genesi, & cæterarum creaturarum.*

QVÆST. VIII.

De Angelis, qui horis cujusque diei attribuuntur.

C*Vilibet Planetæ attribuitur Princeps aliquis supercælestis, vbi in præmissis declaratū est, videlicet* Michael *Soli*, Anael *Veneri*, Raphael *Mercurio*, Gabriel *Lunæ*, Orifiel *Saturno*, Zachariel *Iovi*, *&c. Quare cū Angelum in qualibet, cujuslibet septimanæ*

manæ & diei hora prædominantem invenire desideramus, procedendum erit, ut in inuentione Planetæ prædominantis in qualibet diei septimanæ hora, in Astrologia nostra declaratum est: Verbi gratiâ, diei dominici primã horam, incipiendo ab ortu solis, sibi vendicat Sol, *secundam* Venus, *tertiam* Mercurius, *quartam* Luna, *quintã* Saturnus, *& sic in cæteris. Sic etiam dicimus, quòd primam horam diei dominici*, Michael, *qui est spiritus* Solis *possidebit, secundam* Anael, *qui est spiritus* Veneris, *tertiam* Raphael, *qui est spiritus seu Angelus* Mercurii, *& ita in reliquis.*

QVÆST. IX.

Quomodò signa atque planetæ & per consequens Dæmones iis præsidentes magis uni terræ loco dedicentur, quã alteri & proinde vires suas magis exercere & exequi cernãtur quã alibi.

Plane-

PLanetas colligimus ex Cosmographica doctrina vendicare sibi propria climata: Sic Saturno primum clima attribuitur, Jovi secundum, &c. Invenimus etiam ex Chaldæorum documentis alias regiones his vel illis signis Zodiaci subjici: Exempli causa, Aries Germaniæ, Britanniæ, Galliæ, Syriæ, Palestinæ, Poloniæ, Burgundiæ, Sueciæ & ex ciuitatibus, Neapoli, Florentiæ, Capuæ, Veronæ, Bergamo, Paduæ, Marsiliæ, Sarragosæ & hujusmodi aliis præsidet. Taurus præsidet Mediæ, Persiæ, Cypro, Poloniæ, Russiæ, Cãpaniæ, Rhetiæ, Heluetiæ, Lotharingiæ, Britanniæ, Irlandiæ, & ex ciuitatibus, Boloniæ, Mantuæ, Tarantæ, Pauiæ, Palermæ, Turegiæ, Breslauiæ, Lipsiæ, &c. Atque ita de reliquis signis. His igitur cognitis facilimum erit eorum spirituum locos magis familiares, hic in terra inuenire; Et proinde diligẽter obser-

obseruare debemus regionem, ciuitatem, oppidum aut locum, quæ sunt sub signo domus, in quo Dominus loci boni Dæmonis seu Genii natiuitatis inuenitur.



ELEN.



ELENCHVS CAPITVM HOC OPVSCVLO COMprehenſorum.

PROOEMIVM.

V. An

XV. An

XXXI. De-

MAGIA NATVRALIS.

De mirandis quibusdam naturali Magia factis operationibus.

IX. De





MAGIA,

In qua

MAGIÆ DIVISIO, SPECIES, DÆMONVMQVE GENERA diuersa, & operationes siue effecta.

Cap. I.

De Magia, eiusq; diuisione.

DE Magia dicturi, naturali potissimum, eiusq; effectis admirandis, à definitione exordiemur: Magia est scientia, quæ vi quadam, non tamen supernaturali, sed creata, insolita quædam efficere potest, quorum causæ communem hominum captum exuperant. Ab hac igitur definitione vera om-

nia miracula, digito Dei omnipotentis effecta, tenore verborum illorum, vi non supernaturali, secludimus.

Diuiditur Magia generice sumpta in Naturalem, Artificiosam & Diabolicam, & sic Bonam, vel Malam.

Illius definitionem posuimus, huius hæc est. Magia prohibita, mala, vel diabolica est scientia, qua vi pacti cum diabolo initi, mira quædam, & communem hominum captum exuperantia, efficiuntur.

Magia artificialis est, quæ humana industria mira quædam perficit, dicitur etiam magia artificialis operatrix, estque duplex, mathematica & præstigiatrix.

Mathematica nititur principijs mathematicis, Hinc variæ artificum operationes, olim Archimedis, Architæ, hodie recentiorum automata.

De hac sciendum, nihil contra naturam eam efficere, sed potius naturalibus medijs & causis agere, si in hac effectus supernaturales intueris, ad præstigiatricem referendum.

Præ-

Præstigiatrix ex effectis cognoscitur, hæc enim ludicra sunt, & non talia, qualia apparent.

Magia dæmoniaca, quæ diabolo authore nititur, & effectore.

Non autem bonis spiritibus tribui potest, nec diuisio Magiæ in albam & nigram subsistit.

Huc referri potest Ars Planetaria, ars Almaldel, notoria, Paulina reuelationum.

CAP. II.

De Pacto inter dæmonem, & hominem intercedente.

MAgia diabolica pacto cum dæmone nititur, quod Magus cum eo inijt, vt quotiescumque libitum ei sit, aliquid efficere, adminiculo artis suæ, dæmon ex condicto concurrat.

Pactum hoc cum diabolo vel expressum, vel tacitum. Expressi triplex modus, aut enim dæmon forma visibili, & certa solennitate compareat, resque coram testi-

bus agitur, aut ſine teſtibus, altero modo, aut per vicarium, magum alium, res peragitur, cum ſcilicet paciſcens dæmonis conſpectum fugit.

Tacitum pactum, quando quis ſciens, & volens, ſuperſtitioſis vtitur ſignis, quibus Magi vti ſolent, vel quando ex ignorantia ijs vtitur, quia mala & à dæmone inſtituta eſſe neſcit.

Pactum vtriuſque ſpeciei vanum & irritum eſt: quin & periculoſum, & nocentius, & animæ & corpori.

Pactum hoc intercedere dignoſcitur, nec miraculi, nec naturæ vis, nec artificij ſolertia deprehenditur. hoc eſt, ſi operatio naturalem facultatem excedit, ſi in operatione aliqua adhibeantur verba ignota, falſa, abſurda, ſacrave ad ſenſus alienos retorta, ſicque operatio tribuitur certis quibuſdam & deſignatis ritibus, & denique, ſi vis effectrix collocatur in obſeruantijs, plane ſuperfluis, & indifferentibus, ſi inquam, hæc, vel ſimilia adhibeantur, reſque non eſt proportionata, ad effectum producendum, magicis tribuatur

tur

tur incantationibus, & artibus, necesse est.

CAP. III.

De dæmonum varijs generibus.

VT autem sunt dæmonum variæ operationes, & libidines, sic & varia genera, omnes quidem immundi, & mali, hominibusque infesti: prout latius eos describit Trithem. *in lib. Quæstionum* ad Maximilianum Cæsarem. *Sicuti dæmones* (inquit) *in potestate acumineque subtilitatis ab inuicem differunt: ita maleficarum quoque potestas non est in omnibus vna, sed in singulis, prout dæmonibus concurrunt natura subtilioribus vel grossioribus, diuersa. Multa enim sunt genera dæmonum, & certis inter se gradibus distant: ratione locorum, in qua cadentes à principio sunt detrusi.*

Primum quidem genus dæmonum appellatur igneum, quod circa superiorem peruagatur aërem, nec vnquam ante iudicij diem ad inferiora demergitur: sed continuo sub regionibus permanentes sublunaribus nullum habent cum homi-

nibus in terra commercium. Quod vero ſub luna permaneant Sanctus quoque teſtatur Auguſtinus in opere, de Agone Chriſtiano, ſic dicens: Dæmones non habitant in cœlo, vbi ſol & ſtellæ ſunt, ſed omnes ſub regione lunari verſantur. Hinc motus opinor Apuleius dixit animalia eſſe ignita, propterea quod Ariſtoteles confirmauit in fornacibus ardentibus quædam animalia paruula ſæpius viſa volitaſſe pennulis apta, quæ totum æuum ſuum diuerſantur in igne, quoniam cum igne oriuntur, & cum eodem igne extinguuntur, & ad ſuum vnde venerant locum euaneſcentes redeunt. Nulla ſunt eis cum maleficiis conſortia. quoniam cum demorentur in igne, propter ſubtilitatem ſuam non poſſunt corpus groſſum ſiue aëreum induere.

Secundum genus aëreum dicitur, quod in aëre errans nobis propinquo commoratur. Hi quidem poſſunt ad inferiora deſcendere, & aſſumptis de craßiore aëre corporibus, quandoque hominibus apparere. Aera permittente Deo ſæpius turbant, tonitrua & tempeſtates concitant, & omnes ſimul in perniciem humani generis cōſpirant. More hominum affectionibus mouentur paßionum, ſuperbia maxime & inuidia, tanguntur-

gunturque perturbationibus continuis, & nec solido vestiuntur corpore, nec vno consistunt loco. Nec vnam omnes formam habent, sed plurimas, easque sæpius mutant, secundum varietatem affectionum, quibus vel occurrunt maleficarum carminibus euocati, vel impulsi perturbatione ad nocendum.

Habent enim violentum omnino & furiosum morem turbationibus plenum, vnde vehementer malefacti & perturbati repentinas plurimum machinantur insidias, & dum suas agunt incursiones, partim latere volunt, partim inferunt violentiam. Malefica horum dæmonum operatione suffulta, tanto sunt ad maleficandum potentiores, quanto superiorem ex eorum ordine concurrentem fuerint assecutæ. In vita D. Anthonij D. Athanasius aerem plenum esse dixit dæmonibus: quod Mercurius ante dixerat Ter-maximus: nullam videlicet mundi partem dæmonum præsentiâ destitutam. S. quoque Præsul Ambrosius dixit: Plenus est mundus sanctarum virtutum, quia est plenus nequitiarum. Vnde Platonici dæmones, in aere volantes, in modum densissimæ niuis ignitæ, cupientibus tradidere visibiles: si aliquandiu versus cœlum sole splen-

ſplendente irreuerberatis oculis continuauerint obtutus. Sed neſcio an in aere cauſetur obiectum ex conſiſtentia reali: vel certe oculorum motus interclusus repræſentet imagines falſas; non ſine detrimento ſenſus tamen leui præmiſſorum accepi experimentum.

Tertium genus dæmonum terreſtrium dicimus; quos prolapſos de cœlo in terram, pro ſuis demeritis minime dubitamus. Ex his autem dæmonibus alij verſantur in ſiluis, atque nemoribus; qui venatoribus ponunt inſidias: alij vero patulis degunt in campis, qui nocte aberrare faciunt itinerantes, nonnulli demorantur in locis abditis atque cauernis: reliqui cæteris minus furioſi ac perturbati demorari cum hominibus in obſcuro delectantur. Non vno ducuntur affectu ſed vario. quoniam alij ſunt aliis minus deprauati, quanquam omnes ſint malis perturbationibus pleni. Ex his quidam gaudent ſolis illuſionibus territare homines, alij prædictionibus futurorum in admirationem ſui trahere cupiũt audientes; nonnulli vero ad hoc ſummo conatu laborant, vt homines irrationabili furore turbatos, aut melancholia furentes terreant, lædant, vel occidant, quod experientia ſæpius factum

ctum agnouimus. Hinc Sanctus Ioannes Chrysostomus in libro tertio, de prouidentia ad Stagyrium monachum: *Omni actione Diabolica potentior est ad nocendum mœroris magnitudo. quia dæmon quoscunque superat, per mœrorem superat: eum si auferas, nihil à dæmone lædi quisquam poterit. Hoc autem dæmonum genus raro est maleficis familiare, propter inconstantiam affectionum & leuitatem; qua territare multos gaudent potius, quam vnius mulierculæ subesse imperio. Commorantur tamen interdum, & pollicentur væsanis, in vitio, aut crystallo, siue speculo: & carminibus concitati responsa dant mulierculis: &, si quis venturus in via eis maledixisset, pronunciant. Et hoc maleficarum genus multum differt à reliquis, quia quod illæ maleficio reddant infirmum, istæ curare pollicentur. verum quia maleficium vt plurimum refellunt maleficio, earum accessus ab Ecclesia omnibus interdicitur Christianis.*

Quartum genus dæmonum denominatur aquaticum: quoniam se humoribus immergens circa fluuios & lacus inhabitat; ira plenum, turbatum, inquietum, & fraudulentum, quod in mari tempestates concitat, nauigiaque de-

mergens in profundum, multis vitam aufert in aquis. Et isti dæmones quoties assumunt corpus visibile, in sexu frequentius apparent fœmineo: in masculino rarius videntur, propterea quod in locis versantur humidis, & molliorem vitæ ductum sequuntur, nec virile schema facile cæterorum consuetudine possunt assumere. Vnde Naiades, Nereidesque Nymphas aquarum, non masculino, sed fœminino dudum sexu nominauit antiquitas. A nostris autem aquaticæ mulieres, id est Wasserfrawen *communi vocabulo dicuntur.*

Qui vero habitant in locis ficcioribus & subaridis, quoties hominibus corporaliter apparent visibiles, in viros se transformant.

Diuersarum quoque species assumunt bestiarum, prout diuersis tanguntur affectionibus. Sãcti autem Angeli, quoniam affectione nunquam variantur, vniformiter semper apparent in forma virili. Nusquam enim legimus scriptũ, quod bonus spiritus in forma sit visus muliebri, aut bestiæ cuiuscunque, sed semper in specie virili.

At sæpe visi sunt dæmones circa fluuios & fontes, in specie mulierum aliquando chorisantes, aliquando capillos more fœminarum explicantes:

cantes: nonnunquam vero cum hominibus loquentes, & varias ludificationes exercentes. Et hoc genus non consueuit cum maleficis habere commercium.

Quintum genus subterraneum dicitur, quod in speluncis & cauernis montiumque remotis concauitatibus demoratur. Et isti dæmones affectione sunt peßimi, eosque inuadunt maxime, qui puteos & metalla fodiunt, & qui thesauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratißimi. Hiatus efficiunt terræ, ventosque flammiuomos suscitant, & fundamenta ædificiorum concutiunt. Noctibus aliquando de montibus turmatim egreßi mirandas stupendasque in campis ducunt choreas; & quasi vnius ducis metuentes imperium, subito euanescunt ad signum, & ad sua diuerticula reuertuntur. Interdum nolarum inter eos auditur sonitus, & se nonnunquam spiritus hominum vita defunctorum mentiuntur. Nihil magis quærunt quam metum hominum & admirationem. vnde habemus compertum, quod simpliciores hominum quosdam nonnunquam in sua latibula montium duxerunt, stupenda mirantibus ostendentes spectacula, & quasi beatorum ibi sint

mansiones, amicos viuorum se mentiuntur.

Ex his quoque dæmonibus quidam incubones sunt thesaurorum, quos auaritia mortalium in terra abscondit: & ne rursus in vsus perueniant hominum; eos subducunt, furantur, & custodiunt: & quandoq; de loco in locum transportant. Et hoc genus dæmonum cum maleficis mulieribus nullum consueuit habere commercium.

Sextum genus dæmonum appellatur Lucifugum: *propterea quod lucem maxime horrent, & detestantur. quia nec diebus vnquam apparent, nec alio modo corpus, quam de nocte, possunt assumere. Hoc est* negotium quod in tenebris perambulat: *genus dæmonum imperscrutabile, ac penitus tenebrosum, paßionibus frigidis agitatum, malitiosum, inquietum & perturbatum; quod occurrentes homines violenter comprimit nocturnis horis, sæpiusque Deo permittente aut flatu quosdam interficit, aut contactu. Maleficis non conuenit hoc genus dæmonum, neque carminibus arctari potest. quia lucem fugit, & vocem hominum simulque omnem tumultum.*

Aereum maxime ad maleficia fœminarum consueuit occurrere. nam est cæteris omni-

bus

lus magis subtile, & audacißima temeritatis.

Terrestrium quoque nonnulli, vt est dictum, maleficis subseruiunt; qui tamen inferiori gradu habiti maiora illa maleficia inducere minime possunt. Hæc Trithemius.

DAEMONVM GENERA VARIA ex disq. Mag. Delrio. Lib. II. q. XXVII. sect. II.

DÆmones ab Hebræis vocantur *Malachim raaim*, angeli mali, *rashe-galyoth*, capita seu principes captiuitatis; *Satanim*, calumniatores, vnde Arabicum *Satainim*, & *Elilim*, vanitates seu simulachra, vnde Græcum ἐλελεὺς cognomen Bacchi: &, *Sedim*, dæmones. Græcis vocantur πνεύματα πλάνα, πνεύματα πονηρὰ, spiritus deceptores, spiritus improbi, & δαίμονες ἀπὸ τοῦ δειμαίνειν, quod terrorem incutiant. Latinis hi, de quibus agimus, *Manes, Lares, Genij, Laruæ, Lemures.* Gallis; *Gueliers, Lutins, Gobelins, moynes bourez, loupgaroux.* Italis, *Farfarelli, Mazzaruoli, mazzapengoli.* Hispanis, *trazgos, duendes.* Appa-

ruere olim formis, quam nunc pluribus; vnde nata fuit illa veterum multitudo Deorum infernorum. de Genijs, Lemuribus, Laribus, Manibus iam diximus: de alijs videamus.

Primò occurrit *Hecate*, triuiorum & quadriuiorum præses, triplici facie, dextra equi, sinistra canis, media fœminæ: vide quæ dixi comment. in Sen. Medeam v. 7. & v. 788. hanc censebant spectrorum immittere terriculamenta, vide com. eundem in v. 812. & illa aduentante solum tremebat, & thedarum fulgur cernebatur, quod *sacros ignes* vocat Seneca; & canibus multis cincta aduentabat, quorum terribiles vlulatus & latratus audiebantur. vide eund. comment. v. 839. & seq. Loyher. lib. 1. ca. 1. hanc, quando speciem mutabat, Scholiastes Apollonij *in lib. 3.* censuit *Empusam* vocatam: sed alij distinguunt. hæc vxor fuit Plutonis, eadem quæ Proserpina.

2. *Pluto*, hunc Græci vocarunt ᾅδην, eo quod mortem in orbem induxerit, ab Hebræo E D. vocatus etiam est Plutus, Deus

Deus diuitiarum, sicut & Hebræis seu Syris *Mammona*, ab Ægyptijs dictus *Serapis*, hoc est ardens, à voce Hebræa *Saraph*: quem alij *Solem* contendunt.

3. *Charon*, Hebræa origine iracundum & furore plenum notat: qualem nobis Virgil. 6. Æneid. & Seneca in Herc. Furente eum exhibent.

4. *Cerberus*, iuxta Leloyer. deduci potest à *Celebhaarets*, hoc est canis terræ: nam dæmones sic à Zoroastre vocari iam docuimus.

5. Erant & quidam dæmones luctatores, qui homines luctari compellebant; qualis ille πολλάμινος Temesius, qui Temesam infestabat, fingens se Politæ à Bruttijs occisi animam, de quo multa Græci Pausan. in Eliac. & Strabo lib. 6. imitabatur simia Angelum, qui cum Patriarcha Iacob luctatus.

6. Fuere & admodum truculenti, qui *Alastores* dicti, fortassis idem cum Nemesi Alastor. Nam Nemesim fingebant vltricem scelerum & hoc officium Alastori tribuit Origenes *contra Cel-*

Celsum, vocant eum *Azazel*; & Zoroaster vocans *Carnificem* & Scholiast. Euripidis, in *Medæa*, ideo dictum censet quod nihil scelerum eum lateat; ὃν οὐκ ἐςὶ λαθεῖν. ego potius, quia nihil eum fugit aut latet eorum, quæ Deus permittit perdere ac destruere. Fortassis hic est ille *exterminator* de quo in Apocal. c. 9. v. 11. rex ille locustarum angelus abyssi, cui nomen Hebraice *Abaddon*, Græce Apollyon, Latine *exterminans* (אבדון Ἀπολλύον.) vbi male Primasius legit, *Armageddon*, & Hansbertus ac Haymo, *Labadon*; sed, vt nos, recte legerunt Andr. Cæsariensis, & Arethas Cappadox; Tychonius vero totum præterijt, fors etiam Donatistis mos fuit S.S. pro arbitrio detruncare. nam & Beza & similes Nouatores hodie illud *Latine, exterminans*; delent; quod (vt à Latino interprete optime additum) Ecclesia Romana agnouit, & retinuit. Omnibus tribus linguis significatur dæmon cuncta corrumpens ac destruens.

7. Fuere & *Satyri*, quorum Princeps *Faunus*; huic terribiles ac inopinatos sonos

nos tribuebant:& his erroribus auerruncandis *Ioui Fauno* sacrificabant, cui dicata ædes in Auentino. hos Psellus vocat *Asinipides*, à formâ, *Onosceles* siue *Onoscelides*, vt notat Sozomen.*lib*.8.*cap*.6.SS. vocat eos pilosos שעירים *Sairim* Leuit.17.vers.7.vbi noster vertit *dæmonia*; LXX. verò, *vana* seu *idola*; eodem sensu: idem inuenias 2.*Paral*.11.*vers*.15. Sic etiam vocantur dæmones *talpæ* & *vespertiliones* ab Esai. Dionys. Halycarn.lib.6.Antiquit. Rom. item pilosi & Sirenes; c.2.v.21. item pilosi, onocentauri, & lamiæ, cap.13.v.21. haud dubiè à spectrorum varietate. dicti & *Ægypanes*, quasi capripedes; quales à poëtis finguntur, & horum tripudia sæpe visa in Atlante monte scribit Plinius; cap.34.v.14. audita narrat Mela; lib.5.c.1. hodie & videri & audiri confirmat Iul.Scaliger. lib. 3. Georg. Sed & D. Antonio talem olim in deserto obuium factum, auctor est D. Athanasius, *in vita Antonij*. eorundem visorum meminere Plutarch. *in Sylla*. & Diodorus Siculus *in Bibliothec*. Rabbi Abrah. Ezræ F. multa de his fabulatur:

tur *comment. in Genes.* relatu indigna.

8. Sacra Scriptura meminit etiam *dæmonij meridiani*, contra Cardan. exerc. 355. his verbis; *Nō timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano*: vbi quatuor enumerantur pericula siue pestes, quas omnes vult esse dæmonum genera, Paraphrast. Chaldæus. Ps. 90. v. 5. & 6. De *nocturnis dæmonibus* constat, noctem quasi proprium esse scamma spectrorum, & dæmonum; vnde & *Principes tenebrarum* dicuntur, & legimus; *potestatem tenebrarum*. Seneca in Oedip. diurno tempore, grassante peste, dixit, visa,

Vaga per lucos simulachra virum,
Maiora viris:

nocturno verò (sic hæc diuidenda) illud;

Quin Tænarij vincula ferri
Rupisse canem fama, & nostris
Errasse locis. Plane pleraque spectra & terriculamenta dæmonum nocte robur habere; mane vanescere, ex pluribus scriptoribus, alias docui; in Herc. Furent. cō. ver. 123. ex Virg. Horat. Proper. Statio & Catul.

Catul.& Iosepho atque Hebræis.& Psellum dæmones quosdam agnoscere *Lucifugos*, tenebrarum incolas & amatores: Antagonistam vero Patriarchæ Iacobi, Genes.32.v.24. bonum fuisse Angelum, non dæmonem, vt censuere quidam apud Procopium,& homo præceps nimis ac temerarius Franc.Georg.tom.1.sect.3. problem.234.*in Problematibus S.S.* Ex his nocturnis est, princeps *Succuborum* dæmonum, quam Hebræi vocant *Lilith*, hoc est apparitionem nocturnam, à *Laila* (hoc est nox:) quia non solent tales dæmones viris esse infesti, nisi nocte. Vnde Ecclesia cum Ambrosio, contra eos precatur:

Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime
Ne polluantur corpora.

Incubi dæmones etiam interdiu grassantur, quorum *Pana* Principem veteres constituebant: eum Hebræi *Haza*, nostri per excellentiam nominant *Incubum*, Glossar, *Incubus*, πᾶν, vocatur & *Inuus*, vt ego

ego arbitror, non ab Hebræo, *aanas* (affligere;) quod longe petitum, sed à verbo Latino *ineundi*. Ardere enim hunc dæmonem, & ei subditos, amore improbo fœminarum veteres censuerunt: D. Aug. lib. 15. de ciu. Dei Isidor. lib. extremo Octauo Origen. Macrob. lib. 1. Satur. 22. non quod delectentur concubitu, sed quod gaudeant ab hominibus Deum offendi, & genus humanum tam fœde contaminari.

Nono igitur, Pausanias in Phocaic. describit nobis dæmonem quendam *Eurynomum*, longis & prominulis dentibus, & corpore liuido ac cadaueroso formidabilem, pelle vulpinâ vestitum; cadaueribus mortuorum vesci solitum, eaque ad ossa vsque deuorantem. Quibusdam videtur hæc *Mortis* descriptio: crediderim potius, quando spectrum aliquod aliqua forma veteribus apparuerat, statim eos nomen certum illi indidisse, & sacrificia vel expiationes illi auertendo instituisse: vnde & orta sequentia muliebrium spectrorum siue ostentorum

torum nomina, fictionesque. Nam

Decimo loco occurrunt *Sphinx* illa Thebana, de qua Strabo *lib.* 9. Apollodor. *libr.* 3. *Bibliothec.* Higynus *in Fabulis ca.* 151. Natalis Comes *lib.* 9. *mythol. cap.* 8. & Lilius Girald. *in Ænigmatibus* quæ si fuit, dæmon fuit: qui formam illius speciei Simiarum assumpsit, quæ *Sphinges* vocantur, de quibus lege Pierium *lib.* 6. *Hierogly.* & Solinum, *cap.* 30. Secundo *Harpyiæ*, de quibus Hesiod. *in Theogonia*, Apollon. *lib.* 2. *Argonaut.* Orpheus, *in Argonaut.* Apollodor. *lib.* 1. *Biblioth.* Eustath. *in Odyss.* μ. & Izacius *in Lycophr.* Tertiò, *Gorgones tres*, de quarum forma & genere dictum fuse *Commen. in Medeam Sen. v.* 831. Quartò, *Sirenes tres*, de quibus egi, quæ necessaria hoc loco, *Aduersar. in Sen. Medeam v.* 355. & de his mentio apud nostrum interpretem vulgatum Esai. 13. *v.* 21. vt & LXX. verterunt, & teste Eusebio, tres interpretes; non tamen eiusdem verbi Hebræi loco, quo noster: Theodoretus vult *Sirenas* fuisse dæmones ad voluptatem incitantes. Quinto *Erinnyes* siue *Eumenides*, quas

Latini

Latini *Pœnas* vocauere, & ipsæ tres; de quarum habitu & conditione multa cōgessimus eiusdem Commen. in Medeam *v.13.& seqq.& v.960.* Vltimò, *Nymphæ*, quarum quædam aëriæ, vt Sibylla de qua Plutar.*lib. de sera num. vind.* quædam terrestres, vt Oreades, Napeæ, Dryades, Hamadryades; quædā aquaticæ, vt Nereides & Naiades, illę maris, hæ fluuiorum: quas omnes dæmonum spectra fuisse constat; & si non cōstaret, inde probaretur, quod aspectus earum iratarum de recto mentis statu deiiceret (quod dæmonum proprium) vt docent ex Græcis Scholiast. Theocriti & Hesychius, ex Latinis Varro & Festus. sic affectos nos *lymphatos*, quasi Nymphatos: Græci vocant *νυμφολήπτους*. tales, visa Cerere, *ceriti*: viso quoque Fauno in meridie, *mente attoniti*: audito Pane territi *Panico pauore*, dicuntur vexari vano metu; quanquam hoc nomen etiam hydrophobiâ laborantibus & cæteris illis, possit accommodari late sumpta voce. vide quæ dixi Comment. in Herc. Oeteum *v.246.*

Vnde-

Vndecimum spectrorum genus est, id quo nutrices solitæ infantes metu incusso quietate, de hoc genere primum est *Acco*, *Alphito*, & *Mormo*, desumpta puto nomina, ab personis Tragicis seu Comicis terrorem adferentibus deformitate: de *Mormo* id Theocritus & Aristophanis Scholiastes docuere. *Acco* à vetula illa, quę sui adspectu in speculo ad insaniam redacta, & facta terror puerorum, originem habuit; *de qua Rhodiginus lib.* 17. *A. L. cap.* 2. *& Adagiographus in* Accisare. *de Alphito*, idem testatur Plutarch. Deinde & *Gello*, de qua adagium Γελλὼ παιδοφιλοτέρα: hanc aiunt virginem vitâ decessisse, & eius spectrum in Lesbo oberrare, & immaturam pueris necem adferre. volunt eius meminisse Sapphonem. Alia fuit *Gilo*, de qua Nicephorus.

Tertio loco occurrunt *Lamiæ*, de quibus etiam sacri Vates Ieremias & Esaias; Esai. 13. v. vltim. & Thr. cap. 4. quas vera dæmonum ludibria siue spectra fuisse, cum Apollonius Thyanæus, tum D. Hieronym. & alii patres docuerunt; de qui-

quibus & Strigibus (quas ab esu carnis opinor humanæ veteres magistri in Glossar. *Lestrygonas* vocarunt) quia ex professo tractaui copiose Commen. in Medeam Sen. *v.* 732. ne actum agere videar, eo te lector optime malo ablegare; quam eadem repetere. Germani inferiores vocant **Aluen/& Aluinnen**; Gotthi, *Eluas.* Olaus lib. 3. cap. 11. videtur meminisse D. Hieronym. cum dicit sæpe bimulos ac trimulos ad vbera materna lactantes à dæmonio corrumpi, ad Paul. de obitu Blesillæ.

Duodecimum quando apparet in forma *hirci* (vnde ab Isaia & Mose vocari pilosum, seu *zahir* contendunt Iarrhius & Kimchi.) vel *Leonis*, vnde templis gentilium effigi solita capita leonina, quod ridet Arnob. *lib. 6. contr. gent.* vel *serpentis*, vt cum Æsculapius Romam aduectus: & anachoretæ de quo B. Nilus *libr. de orat. ad Deum cap.* 102. *&* 103. vel *noctua*, vt apud Virgil. extremo Æneid. vel *musca*, vt apparuit Laoduni in Energumena, & solet apparere Anabaptistis, vnde & vocatus

Baal-

Baalzebub, Dominus muſcæ; *vel porci, lupi, aut alterius animalis*, cuiuſcunque.

Decimumtertium genus eſt, cohortium, acierum, caſtrorum militarium. ſicut enim bonorum angelorum acies viſæ bis in ſacris literis; Gen. 32. in pr. & 4. Reg. 6. v. 17. ſic &, ſimiæ Dei, diaboli ſæpe ſe in militum confertorum ſpecie oſtendunt hominibus. In vita S. Nortberti *cap.* 26. leguntur ſpecie armatorum militum in quoſdam religioſos dæmonia incurriſſe: vt & in vita S. Guthlaci Anachoretæ, *apud Surium, menſe Aprili*. In chron. Hirſgauienſ. Trithemii legimus ſub annum 1168. Monacho cuidam Limpurgio, prope Wormatiam, viſam multitudinem maximam equitum peditumque, ordinatarum more acierum, quaſi ad prælium procedentem: cumque monachus audacter, quinam forent, interrogaſſet, illos reſpondiſſe; ſe non veros viuoſque milites eſſe, ſed animas militum, & non ita pridem his ipſis in locis principi cuidam ſtipendiatos occubuiſſe: veſtes, arma, & equos, quę viuis peccandi fuerant inſtru-

menta, nunc mortuis indicia suppliciorum esse: quæ circum illos videret omnia nihil nisi ignem esse, quo comburantur. se precibus atque suffragiis adiuuari posse, Leloyherius lib. 4. cap. 6. huic religioso insultat, quod temere animas defunctorum esse crediderit: cuius contrarium tamen rationes & argumenta eius non conuincunt. Ait, *dæmones fingunt se animas esse*. sæpe non semper *strepitum edidere discedentes & fragorem*. possunt & spiritus mortuorum. *Flammis vestes & arma circumdata, dæmones esse probabant*.

Decimò quartò dæmones sunt sub illo spectrorum genere; quo in nemoribus & aliis amœnis locis sese ostentant instar puellarum aut matronarum, in veste candida; interdum in stabulis cum luminaribus cereis, ex quibus etiam distillatę guttæ postmodum in equorum iubis, quas sedulo pexuerunt & nexuerunt, solent ab hominibus inueniri. talis illa vidua Russiana in meridie obambulans, de qua paulo ante mentionem feci: tales, quas vocant *Sibyllas seu Nymphas albas, Dominas noctur-*

nocturnas, Dominas Bonas, & earum *Regina Habundia*; quarum aduentu multum prosperitatis, & rerum omnium copiam putant superstitiosæ anus domibus contingere, quas frequentarint; & ideo domi suæ illis epulas instruunt, escariis lancibus & vasis vinariis omnibus apertis ac discoopertis, nequid illis ad sumendum moræ obiiciatur: quæ plane idololatrica esse, docet prædicto loco idem Episc. Paris. vt & Nicol. Cusanus *libr. 2. excitationum*. Huc refero tres illas quæ visæ Machabæo Banckoni, à quo Stuartorum genus; quæ venantibus visæ regnum illi prænunciarunt. *Boeth. lib. 12. Scot. hist.* Harum bonarum Dominarum, quas Gentiles *Parcas* vocauere mentio habetur & conuiuij illis preparati, in vita D. Germani Episcopi, & apud D. Antonium *pag. 2. Histor. tit. 11.* §. 5. Tales etiam *fatales Sorores*, seu *nympha*, falso putatæ bellorum præsides & Victoriarum largitrices, quæ Hothero Regi familiares in Septemtrionis Historia Olai. libr. 3. capit. 10. Itali vocant; *Fatas*, Galli, *Fees* quales fin-

guntur Melusina, Alcina, Morga.

Decimo quinto huius generis spectra sunt, per quæ Deus aliquando denunciat futura bella, pestem, mutationes regnorum & similia. pauca commemorabo exempla. Nocte quæ seditionem Antiochenorum præcessit, visa mulier ingens & formidabili adspectu, aërem scutica tam fortiter verberans, vt tota sonus Vrbe exaudiretur Sozomen. li. 7. c. 23. Gennadio Patriarchæ Constantinopol. nocturno tempore accedenti ad altare templi, vt Deum pro salute publica deprecaretur, horrendum spectrum se obtulit, quod cum ille sacro ritu coniurasset, respondit, quamdiu Gennadius viueret, sibi non licere damna, quæ imminebant, Ecclesiæ illius inferre, sed eo mortuo sæuissime se in illam grassaturum. Theod. lector lib. 1. Collectan. Priusquam Hunnericus persecutionem in Catholicos Aphricæ inchoaret, super cacumine montis Ziqueni homo giganteæ staturæ visus, & auditus clamare; *Egredimini, Egredimini*: & in æde Fausti, quæ Carthagini est, visa mul-

multitudo Æthiopum sanctos Ecclesiæ fugans, & ante se impellens, Victor. Vticens. lib. 2. de persecut. Vandal. *Alia multa huiusmodi suggerunt*, *Carda. lib.* 14. *de variet. rer.* & *Fulgos. tit. de prodig. lib.* 1.

Decimo sexto loco hic occurrunt illa spectra, quæ certis temporibus & locis aut domibus solent tumultus & vexationes varias exhibere; cuius rei prætermittam exempla eo quod notissima res sit, & legi possint, qui attulere veteres recentioresque, vt *de Temesio dæmone* Strabo & Pausanias citati, & Ælianus lib. 8. var. Histor. *de pueris nigris cirratis* Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. *de Datio Episcopo Mediolanensi* Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 4. *de vocibus & sonis auditis in Marathone post pugnam cum Persis*, Pausan. in Attic. *& ante pugnam Leuctricam in templo Herculis*, apud Cicero. de diuinat. *ante pugnam cum Cimbris* apud Plinium lib. 2. cap. 59. *ante bellum ciuile Syllanum in eadem Italia*, apud Appian. de bello ciuil. lib. 1. *ante primum prælium Pharsalicum Antiochia*, apud Cæs. lib. 3. de bello ciuili, *ante mortem Cæsaris Dictatoris domi eius*,

apud Dionem, *recentiora sunt* apud Niderium *lib. vltim. formicarii*, Guilh. Paris. *d. cap.* 24. Torquemadam *Horti florum coll.* 3. Alexand. ab Alexand. *lib* 5. *Gen. dier. ca.* 23. & confirmat praxis Forensis Hispaniæ, qua licitum conductori, qui ante id ignorabat, spectrorum sic inquietantium causa domos relinquere conductas, vt post Portium censuit Couarr. lib. 4. variar. resolut. ca. 6. Solent huiusmodi infestationes iuberi, vel permitti à Deo, ob pœnam peccatorum, vel ad exercitium bonorum, vel ob aliam causam occultam. Interdum ista peragunt dæmones maleficorum immissione, vt contingit B. Antonio, Cassianus collat. 8. ca. 18. & nobili Aquitano, qui Parisiensem studiosum iure suo per vim spoliarat; Froissard. in Chron. sæpius sponte faciunt sua, tantum vt homines falsa quapiam reuelatione decipiant aut persuasione fallaci; sicut apud D. August. illi baptismum dissuadebant. contenti sunt aliquando sola vexatione, & inquietatione, nullo cum corporis damno, vt ioculator ille spiritus, de

quo

quo Guilh. Parisiensis, qui vasorum collisione & lapidum iactu somnum disturbabat, & culcitra subtracta de lecto deturbabat, & Salmantinus ille Torquemadæ, qui grandibus saxis quosuis petebat, irrito tamen & innocuo contingens ictu: quod Marcus Magus, apud Psellum, l. de dæmon. proprium dicit esse dæmonum subterraneorum, de quibus mox agemus. Quo vero pacto dæmones lapides iacere queant & alia huiusmodi operari, quæ videntur manus & corporata instrumenta requirere, Scholastici disputant. assentior iis, qui præsente per substantiam suam eo loci dæmone, & imperiō voluntatis aerem lapidi proximum mouente, & sic lapidem impellente; hæc fieri censent; quando nullum ipse corpus induit: si vero corpus formatum, vel cadauer assumeret, nulla foret difficultas. Vide D. Thom. quotl. 6. Duran. Capreol. & alios in 2. d. 7.

In locum *decimumseptimum* veniant spectra illa Borussiæ, de quibus quadam epist. scribit Ioan. Meletius; *In Sarmatia*

eoli spiritus quosdam visibiles, qui lingua Ruthenica, coltri, Germanica, Koboldi, *dicantur, quos credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum, nutriuntq; eos laute omni ciborum genere; eo quod adferre soleant nutritoribus suis frumentum, ex alienis horreis furto sublatum. Cum vero alicubi illi spiritus habitare & nutriri cupiunt, hoc modo suam erga patremfamilias voluntatem declarant: in domum congerunt noctu segmenta lignorum, & mulctris imponunt lacte plenis varia stercora animalium: quod vbi paterfamilias animaduerterit, nec dissipauerit segmenta, nec stercora à mulctris eiecerit, sed de inquinato lacte cum omni familia sua comederit, tunc illi apparere, & permanere ibi dicuntur.* Idem iudicium de spectris *viruncolorum* ac *fœmellarum* breuitudine ac specie pigmæi vel pumilionis, olim in multorum domibus frequẽtium, & domestica fere cuncta ministeria solitorum obire, equos curare, domum verrere, ligna & lympham adferre, & similia facere: de quibus Olaus Magnus lib. 3. c. 11. & 12. Galli vocant *des Gobelins*, Teutones Kabbautermannekens/ & Gutelkens/

Fenni, & Suecones *Trullas* appellant. An ex hoc genere fuerint *Eros* & *Anteros*; qui, vt infantuli, in balneo, iubenti Iamblico apparuerunt, Eunapius in Iamblico: id cogitandum relinquo. Sane huc pertinēt *Montani* illi, quorum nobis Historiam Georg. Agricola prodidit, c. de anim. subterran. *In metallicis* (ait) *fodinis inueniuntur, & truculenti quidem, vel solo aspectu terribiles, plerumque metallicis infesti atque inimici sunt. Talis fuit* Annebergius *dæmon, qui operarios amplius duodecim flatu interfecit, in specu qui* corona rosacea *appellatur, eo nomine relictus, quantumuis argento diues esset. Flatum vero emittebat ex rictu, cum equi specie habentis procerum collum & truces oculos appareret. Eiusmodi etiam fuit* Snebergius, *nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è terra sublatum, in superiore loco maxima illius cōcauitatis, quondam feracis argenti collocauit, non sine corporis attritu. Quæstuosam admodum fodinam deserere apud Turcas cogebatur Iudæus à dæmone metallico, hominibus frequenter in forma capræ aurea cornua gerentis apparente. At sedatos illos, Germanorum alij, vt etiam*

 Græci,

Græci, Cobalos *vocant, quod hominum sint imitatores. Nam quasi lætitia gestientes rident, & multa videntur facere, nihil interim efficientes. Alij* virunculos montanos *vocant, quia plerumq; apparent nani, tres dodrantes longi. videntur autem esse seneciones, & vestiti more metallicorum, id est vitteto indusio, & corio circum lumbos dependente. Innoxij sunt hi metallicis, etsi interdum glareis operarios lacessunt, rarißime tamen eos lædunt; nisi cachinno vel maledicto lacesßiti. Potisßimum opus facere videntur in his specubus in quibus metalla iam effodiuntur, vel ea effodi posse spes est.*

Vltimo loco se offerunt spectra dæmonum thesauros custodientium. Cabades rex Persarum cum accepisset in collimitio Persiæ & Indiæ, in munitissima arce Zudaderési, pretiosissimorum lapidum, auri, & argenti thesaurum maximum à dæmonibus asseruari, qui mortales omnes aditu arcerent, eo cum exercitu profectus castrum vi conatus occupare, fortiter propugnantibus dæmonibus, repulsus fuit. confugit ergo ad Iudæorum & Magorum artes, quæ & ipsæ irritæ fuerunt.

runt. *Ergo cum ei persuasum* (ait Cedrenus) *fuisset, Christianorum ad DEVM precibus hoc potiri posse, auxilium à quodam Christianorum in Perside degentium Episcopo petijt. Is indicto Christianis ieiunio, precibus & Synaxi, diuina peregit mysteria, & ad locum accedens coniuratos dæmones ibi degentes exegit, castrumque Cabadæ nullo labore potiendum tradidit. Glycas p.4. Annal. & Cedrenus in Anastasio.* Talis etiam dæmon ille Basileensis, & hinc factum, vt Dracones fingerentur custodes thesaurorum, vt horti Hesperidum, & Aurei velleris: hinc porro factum, vt thesauris addere sint soliti Serpentem aureum, quemadmodum refert Ascanius Centorius *lib. 4. Commentar. bellor. Transsiluān.* de thesauro, inuento prope Deuam vrbem Transsiluaniæ, circa annum 1550. Nota etiam Historia Magi Germanici, qui cum specum ingressus esset, vbi thesaurus reconditus, socio in vestibulo manente, vidissetque incubantem arcæ nigerrimum canem, nihilominus, cupiditate metum pellente, porro progressus,

ruente terrâ, in ſpecu fuit tumulatus.

Hæc de dæmonum generibus, ſequitur, vt de effectis, & operationibus eorum etiam diſquiramus, an ſcilicet effectus adeo decantatos præſtent.

Cap. IV.

Magiam præter apparentes & præſtigiatorios, etiam habere effectus veros.

EX Dei permiſſu quandoque dæmon effectus veros producere poteſt: Tum enim cauſis naturalibus vtitur, ex quibus verus ſequitur effectus. Eſt enim diuturna & multiplici experientia, ac cognitione quarumuis rerum & cauſarum naturalium exacta præditus.

Hinc duplices Magiæ diabolicæ effectus prodeunt: *Veri* & *apparentes*.

Apparentium effectuum plurimi apud Hiſtoricos vbique, miri de Simone Mago apud S. Clementem *lib. 2. recogn.* & *lib. 6. conſt. Apoſtol.* & de Zutone Boemo apud Dubrauium *lib. 23.*

Effectus veri ſunt incantatio ſerpentũ, incantationes Magorum Ægyptiorum.

Regu-

Regula, quibus dignoſcuntur effectus veri à falſis hæc ſunto. Si effectus Magicus eiuſmodi ſit, qui ſoli diuinæ omnipotentiæ competat. Rationes circumſtantiarum diligenter aduertendæ, ſi nimirum non conſtat effectum viribus dæmonum ſuperiorem eſſe.

Hæc de Magia, eius diuiſione, ſpeciebus & pacto cum dæmone intercedente, reſtat, vt de effectis huius agamus.

CAP V.

An cœli aſpectus & influxus aliquid ad Magicos effectus conferat.

AD effectus Magicos producendos, plurimum poſſe & conferre cœlorum & ſuperiorum corporum influxus, Magi certo ſibi & aliis perſuadent, quod an verum ſit, diſquirendum.

Corpora, ſiue figuræ cœleſtes nullum habent influxum, ſeu efficaciam efficiendi & operandi in figuras & characteres à Magis diſpoſitos.

Patet, quia nulla earum cum his antipathia, nec ſi eſſet, homini nota foret.

Hinc concluditur, Quod imagines ex metallo, vel cera, vel alia materia, ad certas constellationes fabricatæ, vel certo charactere aut figura efformatæ, aut etiam baptizatæ, consecratæue, secundum Magicam artem, & sub certis diebus non habeant efficaciam, aut virtutem admirabilem operandi Magicos effectus.

Hoc enim asserere fidei repugnat, blasphemum est, Physicæ & Astronomiæ contrariatur, nec vim habent quicquam ex astris eliciendi, nec nouam qualitatum mixturam in subiectum inducendi, essentialemue formam imprimendi.

Cap. VI.

De imaginatione, & an tales effectus miros producere valeat.

VIs imaginationis maxima, inprimis quoad proprium imaginantis corpus: Imo potest omnia, quæ naturalem coordinationem cum imaginatione habent. Exemplum in noctambulis.

Num vero etiam quoad corpus alienum? Non puto, impossibile enim quod ani-

anima humana per imaginationem, aliamue potentiam mediantibus vel radijs, ſpiritib. vel ſpeciebus, efficere poſſit.

Non tamen nego, quin per accidens poſſit aliquid imaginatio in vicinũ corpus arcta quadam coniunctione & contactu ei copulatum, modo imaginatio intenſa, & corpus illud vicinum ad effectũ illum recipiendum apte diſpoſitum ſit.

Huc faciunt exempla, Iacobi Patriarchæ, de quo in Gen. *cap.* 30. & ea, de quibus Iſidorus *lib.* 12. *Orig. ca.* 2.

CAP. VII.

Anne characterum, annulorum, ſigillorum & imaginum ea vis ſit, quæ à Magis illis tribuitur.

AFfirmant Magi & mordicus defendunt characterum & annulorũ vim magnam eſſe, & tantam, vt effectus illos adeo decantatos efficere queant. Aſſentiuntur his Platonici, & veteres & recentiores: Reſiſtunt alij, docent que nihil ex his ipſis fieri, contingereue poſſe; & ſi quid fiat, ex pacto & conſtituto vi dæmonum

monum permissa à Deo fieri, nec soli characterum figuræ fidendum, asscribēdumue existimant saniores nostræ ætatis & Philosophi, & Medici, & Theologi.

Sunt autem imaginum, seu figurarum Magicarum genera *tria*: *Primo* generi adhibentur suffumigationes, incantationes, & per Angelorum decantata illa nomina exorcisationes, quibus ceremoniis honor dæmoni manifeste exhibetur & idololatria aperte committitur.

Alterum genus characteribus & sculpturis nititur, mere barbaris, in hoc genere conspiciuntur, quatuor huius mundi cardinum principum nomina, & alia superstitionum mera figmenta.

Tertio generi adnumerantur figuræ cœlestibus correspondentes, & subiectæ, quæ quia superstitiosis quibusdam nugamentis & circumstantiis adhibendis nituntur, reijciendæ plane sunt, & ex iis effectum non sequi, tenendum.

Ratio est, quia Deus licet nomina quibusdam imposuerit, tamen iis efficaciam & vim tradidisse non legitur, & sic iuxta illud

illud Magorum theorema, imagines sub certa constellatione formatæ & nominatæ, vim habent, non ratione figuræ, vel pronunciationis, sed virtutis & officij eius, quod Deus ad tale nomen vel characterem ordinauit.

Eidem censuræ subiiciuntur annuli & sigilla Magica. In his enim æque idololatricus cultus interuenit.

Nec refert, quod speciosissimis Angelorum nominibus prænotata conspiciantur.

Ex his sequitur non posse effectum vllum ex his sequi, & si quis sequitur ope dæmonum, qui talia interdum ex Dei permissu ad constabiliendam de hisce opinionem agunt, effici.

Idem iudicium de Numeris hic se offert, quibus etiam nonnullis miros effectus tribuunt, sed firmiter tenendum, Numerum, qua numerum, nullam neq; naturalem, neque supernaturalem operandi potestatem habere.

Ratio, imaginarius tantum est numerus, & re ipsa nihil.

Nec

Nec obſtant, quæ de annis climactericis, & octimeſtri partu dicuntur, quoniam illud ab humorum & complexionis humanæ, & ſic periodi cuiuſdam naturalis ratione dependet, hoc vero à ſeminis & fœtus naturalis circumſtantiis, debilitate ac robore contingit.

Cap. VIII.

An morbi verbis & incantationibus ſanari poßint?

Habet & hæc opinio ſuos adſtipulatores, Magos, & Medicos, & inter hos aliquos nõ infimi nominis. Nos nullátenus eam admittimus, & nulla vocabula naturalem vim ad depellẽdos morbos habere ſtatuimus.

Nec curandum quid aliqui de peregrini idiomatis vocibus, puta Hebraicis, aliiſue, quidquid etiam de incomplexis, complexis, certo orationis metriue genere traditis, & ſimilibus nugantur.

Similiter reijcimus quidquid de præſentia, vel abſentia ægrotantis aſſeritur.

Ratio ſit noſtræ huius concluſionis,

Na-

Naturalis effectus, à natura non producitur, nisi vel motu, vel mutatione. Sanitas autem fit mutatione, quod cuique perspicuum, quæ mutatio non potest contingere, nisi qualitatum actiuarum virtus subiectum aptum ad idoneè agendum rite præparet: nisi enim hoc, non sequitur operatio.

Hæc cum non sint in talibus incantationibus, & adhibitione Magicarum vocum ad sanandos morbos, vt cuiuis intuenti accuratius apparet, etiam effectus ex his nullus sequitur.

Accedit, quod verba vim nullam habent: Non artificialem, hæc enim nusquam vllibi deprehensa.

Non supernaturalem, quia hæc aut gratiæ, aut miraculi.

Hæc in Magos non cadunt, qui Deo exosi.

Non naturalem: Verba enim scripta, mortua sunt, nullius efficaciæ, ore prolocuta, aëra tantum feriunt, sonus autem efficaciæ nullius. Non linguæ raritas, aut dignitas huc facit, merum enim sathanæ

ad

ad decipiendum credulos commentum, & abusus, quem Deus prohibuit, & nec gratiæ aliquid virtutisue ei elargiri promisit. Nec nomina radii sunt rerum, quibus imposita cernuntur, quia multa nihil significantia, multaque diuersum quid à natura rei cui indita sunt, notantia. Ratio dictorum, quia res corporeæ naturaliter in corporis expertia, è quibus sunt nomina, agere non possunt. Nec complexio verborum, propositionum scil. & orationum, aliquid operatur: nec afflatus in ægrum, nec ordo scriptionis retrogradus, nec instrumentum adhibitum cui inscribuntur, quæ omnia nil nisi retia sunt, quibus dæmones imprudentes constringere gaudent.

Cap. IX.

De amuletis & periaptis, an illa effectum decantatum præstent.

QVæritur, an amuleta & periapta vim vllam morbos & damna propellendi, habeant, prout & veteres tum Græcorum tum Romanorum existimarunt. In hac

hac quæstione distinguendum censemus.

Aut enim materia, in qua amuleta talia exarantur, sympathiam, antipathiamue naturalem habet cum eo contra quod paratur, aut non. Si habet talem, res plana est, fieri hoc effectu illius antipathiæ, vel sympathiæ. Si non, figuræ, characteres, verba, constellationesue effectum nullum naturalem habent.

Ratio, naturalis enim effectus causa sit naturalis, necesse est.

CAP. X.

An Magi potestatem habeant aliquam in cœlestes orbes & sidera,

ASserunt Magi artem suam potestatem in sidera & orbes cœlestes exercere, sed falso: Non enim siderum cœliue motum sistere possunt, sicque ordinem vniuersi turbare, nec ordinatos à Deo cursus eorum impedire, vel retro agere, neque etiam elementum de loco suo in alium mouere. Quod tamen fallit de motu terræ, quos ciere de Dei permissu dæmon potest.

Ea-

Eadem ratione possunt etiam Magi tempestates & tonitrua ciere, grandines, imbresque excitare & immittere.

Consentit Lex 12. tabularum, ne quis fructus alienos excantassit. Resistit Seneca, qui hæc ridet, scribens: Illud incredibile Cleonis fuisse publice propositos χαλαζοφύλακες speculatores futuræ grādinis. Hi cum signum dedissent, adesse iam grandinem, quid expectas, vt homines ad penulas discurrerent, aut ad storeas? Imo pro se quisque, alius agnum immolabat, alius pullum, protinus illæ nubes alio declinabant, cum aliquid gustassent sanguinis. Hoc rides? accipe, quod rideas magis, si quis nec agnum, pullumue habebat, quod sine damno fieri poterat, manus sibi adferebat, & ne tu auidas, aut crudeles existimes nubes, digitum suum bene acuto graphio pungebat, & hoc sanguine litabat. Nec minus ab huius agello grando se auertebat, quam ab illo, in quo maioribus hostiis exorata erat. Rationem huius rei quidam quærunt. Alteri, vt homines sapientissimos de-

decet, negant posse fieri, vt cum grandine aliquis paciscatur, & tempestates munusculis reprimat, quamuis munera & Deos vindicant. Alteri supplicari ipsos aiunt, esse in ipso sanguine vim quandam potentem auertendæ nubis ac repellendæ. Sed quomodo in tam exiguo sanguine potest esse vis tanta, vt in altum penetret, & illam sentiant nubes. Quanto expeditius erat dicere, mendacium & fabula est. At Cleonæ iudicia reddebant in illos, quibus delegata erat cura prouidendæ tempestatis, quod negligentia eorum vineæ vapulassent, aut segetes procidissent. Et apud nos in 12. tabulis cauetur: Ne quis alienos fructus excantassit. Rudis adhuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus & repelli, quorum nihil posse fieri, tam palam est, vt huius rei causa nullius Philosophi schola intranda sit. Hæc prolixius Seneca, sed si pacto hæc cum dæmone fieri cōperisset, aliter haud dubie dicturus. Nec viribus humanis hęc perfici dicimus, quibus nec guttam aquæ nedum imbrem grandinemue gigni pos-

se

te credimus,sed dæmonum, ex Dei permissu,ope & potestate.

In his enim omnibus Dei permissio, qui est veluti causa primaria, & principalior efficiens,necessario & in tantum requiritur,vt nisi illa accedente, nec Magus,nec dęmon quicquid possit vnquam.

Assentiuntur huic opinioni saniores & Theologi, & Iurisconsulti, quinimo & ipsa sacra Scriptura, quæ dæmonis ope & impulsu tempestatem in Iobi filios & domum excitatam commemorat.Itidem exempla & historiæ omnis æui. Olaus de Finnis & Laponibus scribit, olim eos mercatoribus ventos venales exhibuisse, tres magicos nodos offerendo, quorum primo soluto placidum ventum, secundo vehementiorem, & tertio vehementissimum essent habituri.Exempla grandinis & pluuiarum excitatarum plura Remigius affert, qui de hoc *lib.1.Dæmonolat.cap.25.* sic inquit:Hoc certe memini, testatum spontanea & libera assertione plus minus ducentorum hominum, qui me Duumviro damnante incendio crimen

men ſortilegi luerunt: ſtatis certiſque diebus ſolitos ſe conuenire gregatim ad ripam, vel ſtagni, vel riuuli alicuius, maximeque ſi quis eſſet, quem ſolitudo à prætereuntium oculis ſepoſitum haberet, atque illic aquas, accepta à dæmone virga, tantiſper diuerberare, dum vapores fumoſque abunde excitarent, quibuſcum vna ſublimes efferrentur. Illud deinde, quod ſic eſſet excitatum, ſe in nubes denſas ac caliginoſas induere, quod poſtquã vna cum dæmonibus ei eſſent inuoluti, agerent, pellerentque qua erat libitum, ac tandem multa præcipitatum grandine in terras decuterent. Confirmat conclusionem exemplum à Iouiano Pontano *lib.5.bell.Neapol.* relatum, Ferdinandus (inquit) Neapolitanorum Rex Marcos oppidum, arci montis draconis ad Maſſicorum montium exitum ſitæ, ſubiectum, Andegauenſium factioni fauens, arcta obſidione premebat, & defectu aquarum prope ad deditionem compulerat, cum quidam impij ſacerdotes Magicis artibus imbres elicere auſi ſunt. In-

C uenti

uenti enim ex oppidanis atque obſeſſis ſunt, qui nocturnis tenebris deceptis caſtrorum vigilijs, per aſperrimas rupes furtim profecti ad littus, trahentes ſecum imaginem affixi ad crucem Chriſti, maledictis illam prius ac diro proſecuti carmine, poſt in mare execrabundi immiſerint, cœlo, mari, terriſque tempeſtatem imprecati. Quo etiam tempore ſacerdotes quidam mortalium omnium ſceleſtiſsimi, dum ſatisfacere prophanis militum artibus ſtudent, ritum nefarium ſecuti, (quo, vt dictum eſt huiuſmodi elici imbres putantur,) aſino præ ædis foribus conſtituto, tanquam agenti animam cecinere funeſtum carmen, poſt diuina Euchariſtia in illius os palatumque iniecta, conclamatum aſinum funereis cantibus, viuum tandem ibidem pro templi foribus humauere. Hic vero vix dum perfecto ſacro, obnubeſcere aer, ac mare agitari ventis cum cœpiſſet, dieſque medius offundi tenebris, ac nunc cælum micare ignibus, nunc lux omnino eriperetur, tonitru cœlum terræque horreſcerent,

rent, volitarent euulsæ ventis arbores, discissaq; fulminibus saxa complerent auras fragoribus, prorumpit tanta è nimbis pluuia, imbresque tam validi, vt non cisternæ modo colligendis aquis satis non essent, sed arentia saxa, rupesque exustæ solibus, torrentes vndequaque prolapsos diffunderent. Ita Rex, quia sola in siti oppidi potiundi spem collocauerat, frustra ab ea habitus, ad Sanonem vetera in castra rediit.

Quod de grandine & imbribus diximus, etiam de fulmine accipiendum, vt de hoc Andreas Cæsalpinus *in inuest. dæmon. cap.* 11. sic scribit: Viri reperti sunt, qui non solum grandines, sed & fulmina cōcitabant, non tamen lædere posse fatebantur, quoscunque vellent, sed eos tantum, quos Deus permisisset. Eorum quidam hunc modum obseruabat. In campis principem dæmonum inuocabat, orabatque vt ex suis aliquem mitteret, qui à se destinatum fulmine percuteret, cui postea in biuio pullum nigrum immolabat, & in aërem proiiciebat, quem cum

postea dæmon assumpsisset, procellam acerrimam concitabat cum fulmine, sed raro in hominem designatum cecidisse compertum est.

Quod idem posſint in aerem, aquam & fluuia, quæ ad tempus sistere possunt, notum est, & ex Plinii *lib. 2. ca.* 103. lectione patet intuenti.

Cap. XI.

Quæ sit Magorum potestas circa Fortuna Bona.

QVin Magi etiam vim suam exerant circa bona externa, seu fortunæ, dubium non est, hinc videmus eos etiam armenta & greges perimere, idque variјs modis, vel enim adhibito veneno, vel laudatione immodica, dæmone interim ea perimente, perficere constat: de quibus A. Gellius 9. *Noct. Attic. c.* 4. & Plinius *natur. hist. lib.* 7. vel motu locali, vt fit in transferēdis segetibus, iuxta illud Ouidii:

Carmine læsa Ceres, sterilem vanescit in herbā,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ,
Ilicibus glandes cantataq; vitibus vua

Deci-

Decidit, & nullo poma mouente fluunt.

Aliquando etiam productione, ex pulueris à dæmone accepti, conspersione, locustarum muriumue, aut similium noxiorum animalculorum segetes, arua, hortos & vineas depascunt, & vastare solent. Exemplum apud Scriptores, & quotidiana experientia vbiuis obuia.

Solent etiam interdum exhibere conuiuiorum apparatus, vel apparentes & præstigiatorios, quibus finitis accumbentes naturali fame mox torquentur, vel veros & naturales cibos aliunde suffuratos exhibere.

Possunt etiam aliquando Deo sic permittente, è carceribus captiuos eximere. De hoc narratio extat apud Trithemium *in Chro. Hirsaug.* quam hic apponere libet. Anno Domini 1323. Fridericus Dux Austriæ, qui contra Ludouicum Bauarum Imperator delectus erat, inter Oedingam & Mulodorffium magno prælio victus & Ludouico traditus, qui in arcem munitam eum asseruandum misit. Magus interim quidam Lupoldo fratri eius in

in Austria promisit, se sua arte Fridericum incolumem educturum vnius horæ spacio, si digna sibi merces numeraretur. Dux liberaliter promisit. Ergo dæmon ad Fridericum ablegatus auolat in Bauariam, formaque peregrini assumpta, custodiam ingreditur, inquiens, si ex captiuitate liberari vis, hunc equum ascende, & te in Austriam ad fratrem Lupoldum incolumem perducam. Cui Dux, quis es tu? ad quem ille: Noli interrogare quis sim, quia nihil ad rem, sed ascende hunc equum, quem tibi exhibeo. Hic cum Ducem alioquin audacissimum, horror inuasisset, & signo sanctæ Crucis se muniuisset, spiritus cum equo nigro disparuit, & vacuus ad mittentem reuersus est, à quo increpatus, quod non adduxisset captiuum, ordinem rei gestæ narrauit.

Quæ in præliis ad victoriam obtinendam, Deo permittente, Magi possint, apparet ex historiis, & præcipue memorabili illa Tartarorum contra Polonos victoria, cuius Cromerus *lib. 8. hist. Polon.* his verbis meminit: Poloni Tartaros anno

Chri-

Christi 1240. ad Legnitiam commisso prælio grauiter vrgebant, & fugientibus instabant. Erat in extremo Tartarorum agmine, inter alia signa, vexillum insigne, cuius pictura X literam præ se ferebat, in cuspide vero figura erat tetra nigraque capitis humani barbati. Id vexillum cum signifer vehementius quateret, fumum atque nebulam densissimam atque fœdissimam exhalabat. Ea nebula non modo aspectum Polonis adimebat, verum etiam odore teterrimo eos necabat. Incantationibus id quibusdam Tartari effecerant, quibus iuxta ariolationibus, diuinationibusque cæteris, cum alias, tum in bello plurimum vtuntur, ex humanis etiam extis de futuris euentibus coniectare soliti. Barbari, vbi Polonos trepidare senserunt, cohortati se inuicem, impressionem in eos faciunt, perturbatisq; ordinibus magnam cædem ediderunt. Tantus eo prælio interfectorum Christianorum numerus fuit, vt singulis singulæ auriculæ à Tartaris præcisæ nouem ingentes saccos explerent.

Ad opes & diuitias quod attinet, eas etiam interdum largiri dæmon potest, sed raro hoc facit, ac potius vana spe, & pecuniæ specie credulos clientes suos decipit. Confirmatur hoc exemplis, quorum multa à Remigio adducuntur, & inter alia *lib. 2. Dæm. c. 4.* his verbis: Sennel armētaria Duzæ 2. Cal. Octobr. 1586. accepta dono à dæmone, vt sibi videbatur, pecunia gestiens domum propere rediit, eam vt numeraret, sed excusso sacco, nihil nisi testas & carbones reperit. Catharina Metensis Duzæ prid. Non. Nou. 1586. Succerdam, Claudia Morelia Serræ 3. Non. Decembr. 1586. & alij permulti, arborum folia, Ioanna à Banno Manerij 3. Non. Iul. 1585. cum aureum nummum charta inuolutum in via reperisset, vti dæmon euenturum prædixerat, atque eam marito cupide ostentaret, aduertit tandem non sine pudore, pro auro nactam se calculum ferrugineum, qui etiam contactu primo facile in frusta dissiliret.

Hinc videmus plerosque huius vanitatis cultores, si diuites ante fuerunt, rei fami-

familiaris iacturam facere, si pauperes, ad vberiorem fortunam peruenire nō posse.

Eadem ratione asseclas suos vana sæpius spe inueniendorum thesaurorum lactat, quos sic in casses pellectos crudeliter præfocat. Ex horum numero illud admiratione plenum est. Circa annū Christi 1520. Basileæ quidam sartor, ingenio simplex, voce balbus, incertum qua arte cryptam illam, quæ Augustæ Rauracorum patet, ingressus, & vlterius, quam vlli alii vnquam poterant, progressus, miranda quædam spectra referebat. Cereo consecrato accenso in cryptam descendens primo per ferream portam, se transiuisse aiebat; inde ex vna concameratione in aliam, atque etiam in hortos pulcherrime virentes. In medio aulam mirifice ornatam spectari, & virginem formosissimam pubetenus, aureo diademate caput cinctam, & crinibus solutis, inferne in horridum serpentem desinentem, à qua manu ad scrinium ferreum deductus fuerit scrinio duos molossos nigros incubare, & terribili latratu accedētes arcere.

At virginem minabunde similem eos compescere. Tum clauium fasce, quem collo alligatum gestaret, soluto, arcam recludere, & omnis generis numismata, aurea, argentea, ærea depromere. Quorum non pauca virginis liberalitate ex ipsa crypta se retulisse ostendebat. Addebat, virginem narrare solitam, diris imprecationibus sese, cum regio orta esset stemmate, iam olim deuotam in tale mõstrum mutatam fuisse, neque aliam salutis recuperandæ rationem superesse, quã si ab illibati pudoris adolescente ter deosculata fuisset: tunc enim formam pristinam sibi restitutum iri, & dotis nomine thesaurum omnem, qui eo loco lateret, liberatori cessurum. Affirmabat quin etiam bis sese virginem deosculatum, bis tam horribiles gestus in ea præ gaudio speratæ liberationis obseruasse, vt sibi ne viuus ab ea discerperetur, metuendum fuerit. A quibusdã nepotibus in ganeam deductus, nunquam postea aditum ad cryptam inuenire potuit, nedum ingredi.

Assentitur Andr. Cæsalpinus *in sua dæ-*

mon.

mon. inuestig. cap. 12. thesaurorum quidem (inquit) indagatores per magicas facultates multos nouimus, sed qui assecuti fuerint, compertum non habeo. Pisis tentauerunt quidam nostris temporibus effodere, sed rei difficultate victi ab opere cessarunt. Tandem anno elapso locum, in quo Neronis ædificia extitisse ferunt, hodie autem sacris virginibus dicatum, effodere cœperunt, vbi erat ingens pini arbor, sed à dæmonibus adeo infestati sunt, vt præ timore ab incepto desistere coacti fuerint.

Hanc difficultatem nemo melius, prudentiusue enucleatam reddidit Paulo Grillando, cuius verba huc transferre libuit. Arte huiusmodi (inquit) iactant se posse inuenire thesauros, in locis valde remotis & subterraneis absconditos; & quandoque inducunt homines in talem insaniam, vt foueas quam ingentes conficiant, pro inueniendis huiusmodi thesauris: & ista videtur mihi, quod sit vna ex turpioribus illusionibus quas dæmon homini faciat: quia in rei veritate nun-

quam legi, vidi, nec audiui, quenquam ex necromanticis, magis aut ſortilegis huiuſmodi, vnquam inueniſſe theſauros, aut alias aurum vel argentum, ſed quamplurimos vidi huic operi incumbentes, qui mirabiliter conati ſunt, velle experiri, qui poſt multos labores, & diabolicas obſeruantias, demum nihil viderunt, nec inuenerunt, niſi terram. Et ratio eſt, quia Deus non permittit, nec vult, dæmonem poſſe theſaurizare, quia alias ſequeretur, quod iſti Magi, Necromantici, ac cæteri diabolicæ fidei profeſſores, eſſent cæteris Chriſti fidelibus ditiores, ac præſtantiores, ac quamplures reperirentur, ex ipſis Chriſti fidelibus, qui animo ditandi proſequerentur illos, nec curarent Chriſtianam ipſam propagare fidem, vt magno theſauro abundarent, & venerarentur ab omnibus. Quinimo videmus hodie totum oppoſitum, quod iſti ſortilegi, Magi, Negromantici, & ſimiles ſunt cæteris Chriſti fidelibus pauperiores, ſordidiores, & viliores, & in hoc mundo, Deo permittente, calamitoſam vitam communi-

ter

ter peragunt, demum vero infelici morte pereunt, & æterni ignis incendio cruciantur, vt *in cap. firmißime, extra de hæretic. & cap. nec mirum. 26. quæst. 5.* Et ea argutia, qua dæmon illos decipit, eadem & similibus promissionibus ipsi nos decipere studet, sed non capiunt, nisi aliquos, qui sunt simplicis cognitionis, & carent intellectu & ratione, vel qui sunt nimium creduli, & curiosi, qui auiditate quadam impudenter appetunt scire ea, quæ nulla ratione, aut honesta causa competit sibi inuestigare. *d. cap. nec mirum. §. auguria. vers. Potentis.*

CAP. XII.

Quæ sit Magorum potestas circa animalia bruta.

MAgnam esse Magorum potentiam etiam circa animalia bruta, patet ab exemplis, quæ vbiuis apud Scriptores de serpentibus habentur. Sic Seneca *in Med. act. 4.*

---- triste laeua complicans sacrum manu
Pestes vocat, quascunque feruentis creat

Arenæ Libyæ, quasq́ perpetua niue
Taurus coercet frigore Arctôo rigens
Et omne monstrum: Tracta magicis cantibus
Squammea latebris turba desertis adest.
Hic fera serpens corpus immensum trahit,
Trifidamq́ linguam exsertat, & quærẽs quibus
Mortifera veniat, carmine audito stupet,
Tumidumq́ nodis corpus agrestis plicat,
Cogitq́ in orbes.

Et Manil. *lib. 5.*

Non inimica facit serpentum membra creatis:
Accipient sinibusq́ suis peploq́ fluenti,
Osculaq́ horrendis iungent impune venenis.

Putamus tamen in his & similibus actibus, ad incantationem dæmones aduolare, & serpentes vel exarmare, vel sopire, vel necare, vt ex Magi Saltzburgensis interitu patet.

Possunt etiam dæmones, & per eos Magi animalia imperfecta, vt sunt vermes, muscæ, ranæ, actiua passiuis applicando producere, & quidem tanta celeritate, vt astantes de nouo creari putent.

Fallere hoc puto in animalibus, quæ ex putrefactione nasci non possunt,

sint, sed tantum de parentum semine.

Reiicienda hic Cæsalpini sententia, sine semine bruta perfecta, boues, equos; &c. ex solis calore & putredine sola gigni posse. Præparatio enim materiæ à virtute seminaria, & formatrice dependet, habetque ad perfecti animalis conformationem non solum primarum qualitatum mixturam & temperamentum, quod à cœlorum influxu & solis calore recipit, sed etiam perfecti animantis exigit cooperationem.

CAP. XIII.

An dæmones incubi & succubæ sint, & an ex tali coitu proles gigni poßit?

QVæstio in vtramque partem plausibilis, proponitur, An dæmones specie incuborum & succubarum actum venereum exerceant. Negarunt permulti, nobis affirmantium choro accedere placet. Dubitandum enim non est, quin dæmones defunctorum corpora sibi assumere, vel de nouo ex aere ad humani similitudinem efformare quorum sub specie,

cie,

cie, & forma tam incuborum, quam succubarum viris fœminiſque illudere poſſint, & ad maiorem & euidentiorem similitudinis rationem effingendam, etiam verum ſemen aliunde exceptum naturali emiſſione eius imitata, adferre.

Addo quod etiam ex tali coitu hominis & dęmonis incubi proles gigni poſſit.

In hac neceſſe eſt, interuenire verum ſemen humanum, quod dæmon aliunde, pro ſua qua præditus eſt, agilitate, & rerum naturalium peritia, allatum calore naturali prolifico conſeruato, eo tempore matrici, quo ad concipiendum optime diſpoſita eſt mulier, exhibet.

Hinc patet, ex ſua propria ſubſtantia eos gignere non poſſe. Non enim verum habent ſemen, nec prolificum. Ratio, quia ſunt ſubſtantiæ incorporeæ, ſemen autem de ſubſtantia corporea prouenit & eius pars eſt.

Sequitur, hunc dæmonem non eſſe verum natæ prolis patrem, ſed hominem, cuius ex ſemine propagata eſt, hoc eſt, generatio tum non dæmoni tribuitur,

ſed.

sed homini, cui vis illa vitalis inest, abest autem à dæmone, qui vitæ expers origo est mortis.

Accedit ex confessione sagarum, quod semen illud, quod dæmon immittit, frigidum est, & horrorem adferat summum cum dolore. Semen autem humanum aliunde exceptum cum imprægnare sagas intendit, verum est semen & calidum, & tunc dæmon omnia ad generandū apta apte imitatur, quærit semen prolificum, inuentum conseruat, & tanta perfert celeritate, vt vitalis spiritus non euaporetur, tum demum quando & quale oportet, infūdit. Et sic quoad omnia, naturæ ordo seruatur, quoad Physica generandi principia: quæ hoc duntaxat postulat, vt ex viri prolifico semine muliebri semini apte commixto, proles nascatur.

Non tamen puto prædicta vera, in dæmone succuba.

Ratio, ad prolis generationem matres longe plura conferunt, quam patres suppeditant, post conceptionem enim omnia reliqua solius sunt matris, adde, quod tem-

temporis tractus requiratur, & continua animæ vegetantis operatio in fœtu alendo, aliaque innumera, naturæ arcana, quę dæmonem non posse, putamus.

Interdum etiam dæmon succubæ forma homine abutens, verum fœtum aliunde homini ereptum sibi supponit, vel etiam alius dæmon interim prolem ementitur. Prioris membri exempla esse puto, quæ de Melusina Francorum historiæ referunt, posterioris suppositios illos, Wechselkinder.

Cap. XIV.

An sagæ verè de loco ad locum transferantur, vbi & de earum nocturnis conuentibus.

NEgatiuæ hic astipulandum, quo ad translationem de loco ad locum, fit enim hoc phantasia hominis læsa, & illusione dæmonis, vinctis interioribus, vnctisque externis sensibus, adeo corporei sensus plane consopiuntur, & phantasticæ illæ imaginationes adeo animo obuersantur, vt experrecti credant, se audiuisse, & vidisse, & fecisse, quæ nunquam con-

contigerunt. Extant huius rei multa exempla, vbi corpora sagarum inuenta sunt, sæpenumero eodem loco iacentia, nec inde mota fuisse. Inter alia, illud in vita S. Germani, de mulieribus conuiuantibus, vt videbantur, & tamen domi dormientibus.

Assentiuntur huic nostræ sententiæ Lutherus, Melanchthon, Alciatus, Duarenus, Ærodius, Camerarius, Molitor, Leonhard. Varius *de fasc. lib. 2. c. 3.*

Est & alia opinio huic aliquo modo contraria, nonnunquam scilicet sagas vere transferri à dæmone de loco ad locum, hirco vel alio animali, vt plurimum phantastico, id est, dæmoniaco, vel arundini, scopisue à dæmonibus subleuatis, insidentes, & corporaliter nefariis nocturnis conuentibus interesse.

Huic opinioni vt plurimum Romanæ fidei asseclæ adhærent, videntur etiam eam confirmare exempla, quorum aliqua hic supponere placet. In prouincia Deirorum haud procul à loco natiuitatis meæ, inquit Guilelmus Neubrigensis,

res.

res mirabilis contigit, quam à puero cognoui. Est vicus aliquot à mari orientali milliaribus distans, iuxta quem famosæ illæ aquæ, quas vulgo Vipsæ vocant. Ex quo vico rusticus quidam ad salutandum amicum in proximo vico commorantem profectus, multa iam nocte minus sobrius remeabat. Et ecce de proximo tumulo, quem sæpius vidi, & duobus vel tribus stadiis à vico abest, voces canẽtium, & quasi festiuę conuiuantium audiuit. Miratus quinam in illo loco solemnibus gaudiis intempestæ noctis silẽtium rumperent, hoc ipsum curiosius inspicere voluit: videnśque in latere tumuli ianuam patentem accessit & introspexit, viditq; domum amplam & luminosam, plenamque discumbentibus, tam viris, quam fœminis tanquam ad solemnes epulas. Vnus autem ministrantium cernẽs stantem ad ostium, obtulit illi poculum. Quo ille accepto, consulto noluit bibere, sed effuso contento & continente retento concitus abiit, factoq; tumultu in conuiuio pro sublatione vasculi, & persequen-

quentibus eum conuiuis, pernicitate iumenti, quo vehebatur, euasit, & in vicum cum insigni præda se recepit. Denique hoc vasculum materiæ incognitæ, coloris insoliti, & formæ inusitatæ, Henrico Seniori Anglorum Regi, pro munere oblatum est, ac deinde fratri Reginæ Dauid sc. Scotorum Regi contraditum, annis plurimis in Scotorum thesauris seruatum est, & ante annos aliquot Henrico II. illud aspicere cupienti, à Rege Scotorum Guilelmo resignatum.

Inunctæ autem vnguento ex variis rebus insulsissimis, maxime vero vnguine infantum necatorum præparato, insidentes baculo, furcæ, colo, scopis, arundini, tauro, hirco aut cani, à dæmone mirabiliter subuecto, ad ludum illum bonæ societatis deferũtur, vbi ignis, vt plurimũ accensus, sed teter ac horridus, ibi dæmõ conuentus præses in solio sedet, forma terrifica, vt plurimum hirci, vel canis, ad illum accedunt adorãdi gratia, nõ tamen semper eodem modo, interdum complicatis genibus supplices, interdum obuerso

ſo tergo ſtantes, interdum cruribus etiam in altum iactis, nec capite in anteriorem partem prono, ſed reſupinato, tum candelis piceis oblatis, vel vmbilico infantuli, ad ſignum homagii eum in podice oſculantur. Inſuper liberos ſuos diabolo illic offerunt. His & ſimilibus flagitiis & abominationibus execrandis commiſſis, incipiunt menſis aſſidere, & conuiuari de cibis, quos dæmon ſuppeditat, vel iis, quos ſinguli attulere. Interdum tripudiant ante conuiuium, interdum poſt illud, ſolent diuerſæ menſæ eſſe, tres vel quatuor, cibis interdum delicatiſſimis, interdum valde inſipidis & inſulſis onuſtæ, quibus pro dignitate, aut opibus, ſinguli locantur, aliquando ſuus cuique dæmon aſſidet, aliquando malefici vna ex parte, & ſuus cuique dæmon ex aduerſo. Nec menſæ ſua deeſt benedictio hoc cœtu digna, verbis conſtans plane blaſphemis, quibus ipſum Beelzebub & creatorem & datorem & conſeruatorem omnium profitentur, eadem eſt formula Gratiarũ actionis, quam ſubdunt menſis ſublatis.

Con-

Conuiuio huic intersunt facie interdum aperta, interdum velata larua, sic .n. personati frequentius post cõuiuium quisq; dæmon suam quam custodit discipulam manu prehendit, & vt omnia fiant ritu, quam sunt absurdissimo, dorsis inuicem obuersis, & in orbem iunctis manibus iactantes capita more fanaticorum solent choreas ducere, nonnunquam candelas accensas manu tenentes, quibuscum ante dæmonem osculantes adorare, & cantare fescenninos in honorem dæmonis obscœnissimos vel ad tympanum, fistulamue sedentis alicuius in bifida arbore saltare, omniaque ridicule & contra cæterorum morem peragere, tum suis amasiis dæmonibus fœdissime commisceri.

Solent interdum etiam sacrificia ab eis in honorem dæmonis fieri, eaque vel ante, vel post conuiuium. Narrant quoque in eius celebratione facinora, quæ quisque ab iurde proximo habito conuẽtu peregerit, quæ quo atrociora sunt, eò magis collaudantur: segnes interim sæuissime vapulant: hinc accepto venenato

pul-

puluere ad propria abeunt. Conuentus hi vt plurimum noctu ineuntur, nõnunquam meridiano tempore, de his Remig. *lib.* 1. *cap.* 14. Ad frequentandum autem hunc conuentum monentur vel à magisterulo suo, vel vocibus præteruolitantis comitatus reginæ sagarum, nonnunquã & aliter, de quibus modis Spinæ. *cap.* 30.

Assentitur huic opinioni Grillan. *lib.* 2. *de sortil. quæst.* 1. qui narrat sibi Inquisitoris officio cum fungeretur, oblatam quandam Lucretiam, quæ dum ex congregatione quadam & conuentu domum deportaretur, & sub auroram matutinus campanæ pulsus, quo ad orandum populus vocatur, auditus fuisset, subito illam à dæmone vectore prope fluuium in agris spinis obsitis fuisse derelictam. Forte iuuenis, bene ei notus, illuc transibat, eum ergo misera nomine proprio aduocat. Iuuenis videns totam nudam, præter verenda, femoralibus contecta, & passis crinibus, accedere formidabat, persistit illa blanditiis allicere, tandem appropinquauit, & quæsiuit habitus & moræ eo loci

loci causam, illa vero primum alia omnia prætexere, & multa mentiri: donec iuuenis incredulus negauit se illi opem laturum, nisi vera fateretur, illa fidem secreti stipulata confitetur, quid sibi accidisset, & qua ex causa. Iuuenis eam secreto domum suam perducit, & multis ab ea muneribus donatur. Sed tandem datæ fidei immemor, rem vni atque alteri narrauit, sic paulatim sparso rumore, & mulier capta, & iuuenis testimonium veritati perhibere coactus Grillando Inquisitori omnia hæc narrauit. Subditur aliud exemplum ab eodem Grillando: Mulier quædam (inquit) Sabinensis diœcesis hanc profitebatur artem diabolicam, de qua cum maritus suspicionem haberet, eam pluries interrogauit, quę semper negauit. Maritus vero in suspicione sua persistens, anxie veritatem perquirebat, qui adeo astute se gessit, quod vidit illam quadam nocte se vngentem, qua vnctione peracta, vidit illam celerrime, quasi auem volitantem, recedere, & ex superiore domus solario ad inferiora descendentem. Illam

maritus sequens, vt videret quo tenderet, amplius eam non videt, & accedens ad portam domus inuenit eam clausam, quæ res magnam ei præbuit admirationem. Die vero sequenti iterum maritus vxorem interrogat, quod anxie scire cupiebat & illa constanter, vt antea se nescire dixit. Maritus vero, vt amplius negare mulier non posset, aperte ei dixit omnia, quæ præterita nocte illam fecisse viderat, deinde fustibus illam grauiter percutit, & duriora minatur, nisi veritatem dixerit, quam si aperte exposuerit, veniam se illi daturum promisit. Mulier igitur se iam celare non posse intelligens, veritatem aperuit, & veniam à marito petiit, quam illi maritus hac conditione indulsit, vt illum ad tales congregationes adduceret. Illa vero vt veniam impetraret, facile petita promisit, & promissum ex licentia sathanæ impleuit. Adductus igitur ille ad locum, vbi ludi fiebant, ludum & choros, & cætera omnia contemplatus est, & tandem ad mensam cum reliquis, vt vesceretur, sedens, cum cibos insi-

insipidos iudicaret, petiit sibi dari sal, quod in mensa deerat, & quamuis iterum atque iterum petiisset, nunquam illi dabatur. Tandem cum post importunam petitionem, prolixamque expeditionem sal illi daretur dixit, Nunc laudetur Deus, quoniam iam nobis sal datum est. Quibus verbis prolatis dęmones, quia laudes Dei audire refugiunt, statim recesserunt, & reliqui omnes disparuerunt, luminaribusque extinctis mansit ille solus nudus, quousque exoriente sole, vidit quosdam pastores quos interrogauit, quænam esset illa regio, in qua erat, illi vero responderunt, esse agrum Beneuentanum in regno Neapolitano: Qui locus distabat à loco habitationis ipsius per centum miliaria, ob quam causam, licet diues esset, coactus fuit per viam mendicare, vt domum redire posset. Quo vbi peruenit, vxorem suam accusauit, & totam rem gestam, iudicibus exposuit. Qui rem totam plene examinantes, accedente mulieris confessione pœnis debitis sontem affecerunt. Quæ cum plurimo-

rum confeſſione & exemplo comprobentur, reuera ſic ſe habere putandum.

Cap. XV.

An corpora ex vna in aliam ſpeciem Magi transformare poßint?

NEgo hoc, & reiicio commentitias & fabuloſas veterum metamorphoſes, item & de Lycanthropis dogma falſum. Ratio, quia anima humana corpus belluinum informare nequit, & è conuerſo. Ratio rationis eſt, quia quælibet forma ſubſtantialis, vt ſuum eſſe tribuat informando, peculiares requirit & conuenientes ſibi diſpoſitiones, item & organizationem corporis propriam. Immortalis autem anima eſt, & à dæmonibus nec vulnerari, nec corrumpi poteſt. Hinc patet eam immutationem ex illuſione fieri, & quidem tam illorum, qui ſe transfiguratos putant, quam eorum qui eos vident.

Transfiguratio hæc etſi deluſoria eſt, habet tamen effectus veraces concomitantes. Exempla, ſtrages hominum, pecorum,

eorum, per dæmonem illatæ, in corpore aëreo, aut lupino, siue per homines lupi effigie tectos, sed humana specie grassantes, quod plerunque ex atræ bilis excessu fit. Quando autem tales non sibi solum; sed etiam aliis lupi, canes, aliæue bestiæ videntur, dæmon diuersimode decipere homines tunc solet. Interdum enim aliud corpus substituit, & illis absentibus, & in loco aliquo soporatis, ipse assumpto lupi corpore, vel ex aëre formato, & sibi circumdato, talia gerit, quæ interim alii putant ab absente illo, dormienteue patrata esse, interdum hominibus ipsis ferarum exuuias circumdat, nonnunquam etiam aërem talis corporis effigiem mẽbra membris coaptanda affingit, confirmatur exemplo rustici illius, qui cum filio adolescente in symposio potitans, nimis obseruat hospitam mensuras cereuisiæ, quam propinabat bifurca creta notantem, dissimulat nihilominus interea dum compotatio [illegible], tum hospitam vocat, vt calculum expensi subducat, petit ista quantum creta notarat, negat ille,

& multis vltro citroque iactis conuitijs, pecuniam offert, quam sufficere sciebat & discedit. Stomachabunda hospita, tu vero ait, non hinc hodie poteris domum, vel non ego quæsum: abit ille, contemnens minas; Vbi peruenit ad fluuium, in quo scapham reliquerat, nequit vna cum filiō admodum valido summa ope eam à ripa contis depellere. Forte duo tresue milites illac iter habebant, compellat rusticus, & contubernales, clamat, agite ferte suppetias, vt hunc lintrem de ripa deducamus. Parent, & ingressi quantum possunt, protrudunt: sed frustra, anhelus vnus & sudans, quin sarcinas & onera hęc efferimus, inquit forte vacuum commodius deducemus: & quidem mercibus depositis, vident in sentina ingentem bufonem, scintillantibus oculis eos intuentem, non tulit vnus militum, sed gladii cuspide perforatum in aquas eiecit, ille quasi exanimis in tergum prouoluitur, ventre resupinato, vulnera natitanti imponunt cæteri alia, & repente nauis soluitur. Lætus rusticus auxiliatores milites

ad

ad idem vnde recesserat, hospitium reducit, potum petit, præbet ancilla, quærit ille vbi hospita, audit pessime habere, & animam in lecto agere. Quid, inepta, ille, ebrium me putas? vix media pars horæ elapsa, cum ego illam isthic sanam & malam qualis tu, dereliqui. Eo & visam, quid hoc rei, intrat in thalamum, inuenit collum & ventrem vulneribus confossam, laceramque exspirasse. Vnde hæc exclamat vulnera? nescire se profitetur ancilla, nec domo illam, quod sciat, pedem extulisse. Itur ad magistratum, vulnera cæsim punctimque illata inueniuntur iisdem in locis, quibus bufonem, qui nusquam cõparebat, milites affecerant. De hisce plenius Binsfeld. *de confess. malefic. concl. 3*. Remig. *lib. 2. dæmonolatriæ, cap. 5*.

CAP. XVI.

An Magi possint bestiis loquendi facultatem tribuere, & an voces bestiarum intelligant.

DE diuina virtute, quin hæc & maiora possit, dubium nullum, sed & dæ-

non talia pseudomiracula edit, Deo talia permittente, huc referatur illud, quod de Polycrito Phlegon Trallianus prodit, Polycritus inquit, post Locridem vxorem ductam, postquam tres noctes cum ea dormiuisset, tertio die vita functus vxorem grauidam reliquit, quæ mõstrum ex duplici sexu peperit, quod cum in mediam concionem populi ductum fuisset, ad consultandum, quid id præsagiret, quidue de eo faciendum esset, cõparuit in medio populi spectrum, Polycriti forma, & futuram Ætolis & Locrensibus prædixit cladem, & impotente ad resistendum populo, filium suum monstrosum dempto capite deuorauit & euanuit: mox & caput eandem cladem elocutum est. Apud Ethnicos item exempla passim obuia, geminæ columbæ Dodones loquaces, quercus Dodonea, equus Achillis, canis Simonis Magi apud Clementem *in Itinerar*.

Verum etiam si dæmon efficere potest, vt animalia suis temporibus & locis apte quædam, personis & rebus accõmodata,

lo-

loquerentur, animalia tamen casu duntaxat & fortuito id faciunt, eademque ratione Magus per dæmonem efficere potest, vt homo latrare, vlulare, &c. audiatur.

Par est difficultas de ea quæstione, An Magi bestiarum voces intelligant, assentitur Porphyr. qui de Apollonio Tyanæo dici solitum asserit, illum cum audisset hirundinem cum multis vociferantem, sodalibus suis, quos secum habebat, exposuisse, indicare eam cæteris, asellum onustum frumento ante vrbem cecidisse frumentumque effusum esse. Hæc tamen nobis non probantur, ratio; bestiæ ratione carent, & ob id discursu, qui ad sermonem ex instituto proferendum requiritur, destituuntur. Posset tamen dæmon, qui affectus corporis & appetitum, quem inuicem bestiæ vocibus suis indicant, perfectissimum habet, magis indicare & patefacere, quod non adeo incredibile.

(:.)

Cap. XVII.

De Extasi & raptu Magico.

Extasis siue raptus Magicus à dæmone efficitur in homine dum eius sensus exteriores duobus modis ligare solet. Aliquando enim tramites illos obstruit, quibus à cerebro spiritus sensitiui ad exteriores sensus penetrant, veluti somniantibus contingere solet. Interdum eosdem spiritus sensitiuos ab externis sensibus ad interni sensus organa attrahit, & ibi retinet, ne ad externorum sensuum organa descendant. Sic contingit, vt in raptu ob nimiam internarum virium sensitiuarum applicationem, & spirituum sensilium ad interni sensus organa confluxum, adeo exteriorum sensuum munia impediantur, vt corpus viuum cadaueris & defuncti speciem præseferat. Et hæc naturalis est causa raptus, eumque dæmon præstare potest: præstatq; in Magorum & sagarum extasi, qua rapti vno in loco permanentes, soporati, variis in locis sese fuisse decepti falso autumant. Simile

mile de Lappiis Magis Olaus *lib.3.cap.18. Sept. Regi. descr.* refert: Si quis, inquit, peregrinus cupiat de suorum conditione certi quid cognoscere, præstant, vt intra viginti quatuor horarum spatium rescischat, quid cum illis agatur, vel si trecentis milliaribus absint : hoc modo, Incantator postquam vsitatis ceremoniis Deos suos compellauit, subito collabitur, & exanimatur, quasi extincto illo reuera è corpore anima excedat. Neque enim aut spiritus in eo reliquus esse, aut restare cum vita sensus aliquis motusue videtur : sed vt adsint semper aliqui oportet, qui projectum & exanime corpus custodiant, quod si non fit, dæmones id abripiunt. Horis viginti quatuor elapsis, reuertente spiritu, seu è profundo somno, cum gemitu expergiscitur exanime corpus, quasi reuocetur in vitam ex morte qui conciderat. Postea sic restitutus ad interrogata respondet, & vt fidem faciat percontatori, recenset aliquid, quod agnoscat ille, & certo sciat in ædibus suis, aut cognatorum fuisse. Hæc de raptu.

Cap. XVIII.

De dæmonum apparitionibus, siue de spectris, quæ dæmones hominibus obiiciunt.

IN confesso est multa vulgo haberi pro spectris, quæ tamen vel naturalia sunt, vel artificio fiunt. Accedunt his, quæ vitio sensuum aut vitiatæ phantasiæ imbecillitate talia, qualia non sunt, apparent. Naturalia videnda apud Aristotel. *de admir. audit.* Sen. *lib.* 3. *nat. quæst.* & Plin. *lib.* 2. *natur. hist. ca.* 95. *&* *lib.* 16. *cap.* 1. Appone sonos mirificos ex vterinis suffocationibus ortos, qui imperitis medicis quandoque imponere solent: quando scilicet, vt ait Corn. Gemm. *lib.* 1. *Cosmocrit. ca.* 7. à venenato spiritu inflatæ arteriæ diductæque in amplitudinem, secundum longitudinem contrahuntur, vnde necesse sit aliquando mulierem strangulari, inde & voces mirandas ex imis visceribus exaudiri, nunc velut ranarum coaxatus, nunc serpentum sibilos, nunc crocitus coruorum, gallorum cantus, latratus canum, &c. quæ tamen pro viarum & erumpentis

tis

tis ſpiritus proportione caſus effingit.

Artificialia itidem ſæpe ſpectatores decipiunt, & pro ſpectris, cum non ſint, habentur, in horum numero ſunt Dædali automata, Archimedis, Architæ & recentiorum artificioſiſſima & ſumme admiranda inuenta, de quibus ſuo loco. Itidem & artificioſæ voces quorundam, quibus cum ſint præſentes, voces abſentium ſimulant.

Verum vt exactiorem ſpectrorum cognitionem haurire poſſimus, de dæmonum variis generibus agendum prius ducimus: & quidem ex Trithem *lib. quæſt. ad Maximilianum Imper. quæſt.* 5. quæ hic ſubiungere placuit.

Primum genus dæmoniorum appellatur *Igneum*, quod circa ſuperiorem peruagatur aerem, nec vnquam ante iudicij diem ad inferiora demergitur, ſed continuo ſub regionibus permanentes ſublunaribus nullum habent cum hominibus in terra commercium nullumq́; cum maleficis conſortium, quoniam cum demorentur in igne, propter ſubtilitatem ſuam

non possunt corpus grossum siue aereum inducere.

Secundum genus *Aereum* dicitur, quod in aere errans nobis propinquo commoratur. Hi quidem possent ad inferiora descendere, & assumptis de crassiore aere corporibus, quandoque hominibus apparere. Aera permittente Deo sæpius turbant; tonitrua & tempestates concitant, & omnes simul in perniciem humani generis conspirant. More hominum affectionibus mouentur passionum, superbia maxime & inuidia, tangunturq; perturbationibus assiduis, & nec solido vestiuntur corpore, nec vno consistunt loco. Nec vnam omnes formam habent, sed plurimas, easque sæpius mutant, secundum varietatem affectionum, quibus vel occurrunt maleficarum carminibus euocati, vel impulsi perturbatione ad nocendum. Habent enim violentum omnino & furiosum morem turbationibus plenum, vnde vehementer malefacti & perturbati repentinas plurimum machinantur insidias, & dum suas agunt incur-

cursiones, partim latere volunt, partim inferunt violentiam. Maleficæ horum dæmonum operatione suffultæ, tanto sunt ad maleficādum potentiores, quanto superiorem ex eorum ordine concurrentem fuerint assecutæ.

Tertium genus dæmonum *terrestrium* dicimus, quos delapsos è cœlo cum aliis, pro suis demeritis minime dubitamus. Ex his autem dæmonibus alii versantur in siluis atque nemoribus, qui venatoribus ponunt insidias, alii vero patulis degunt in campis, qui nocte aberrare faciunt itinerantes, nonnulli demorantur in locis abditis atque cauernis, reliqui cæteris minus furiosi ac perturbati demorari cum hominibus in obscuro delectantur. Non vno ducuntur affectu, sed vario; quoniam alii sunt aliis minus deprauati, quanquam omnes sint malis perturbationibus pleni. Ex his quidam gaudent solis illusionibus territare homines, alii prædictionibus futurorum in admirationem sui trahere volunt audientes, nonnulli vero ad hoc summo conatu labo-

rant,

rant, vt homines irrationabili furore turbatos, aut melancholia furentes terreant, lædant, vel occidant, quod experientia sæpius factum agnouimus. Commorantur tamen interdum, & pollicentur vesanis in vitro, aut crystallo siue speculo & carminibus concitati responsa dant mulierculis, & si quis venturus in via maledixisset, pronunciant.

Quartum genus dæmonum denominatur *aquaticum*, quoniam se humoribus immergens circa fluuios & lacus inhabitat, ira plenum, turbatum, inquietum, & fraudulentum, quod in mari tempestates concitat, nauigiaque demergens in profundum, multis vitam aufert in aquis. Et isti dæmones, quoties assumunt corpus visibile, in sexu frequentius apparent fœmineo, in masculino rarius videtur, propterea quod in locis versantur humidis, & molliorem vitæ ductum sequuntur, nec virorum schema facile cæterorum consuetudine possunt assumere. Vnde Naiades, Nereidesque Nymphas aquarum non masculino, sed

fœ-

fœminino ſexu nominauit antiquitas.

Quintum genus *ſubterraneum* dicitur, quod in ſpeluncis & cauernis mõtiumq; remotis concauitatibus demoratur. Et iſti dæmones affectione ſunt peſſimi, eoſque inuadunt maxime, qui puteos & metalla fodiunt, & qui theſauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratiſſimi. Hiatus efficiunt terræ, ventoſque flammiuomos ſuſcitant, & fundamenta ædificiorum concutiunt. Noctibus aliquando de montibus turmatim egreſſi mirandas ſtupendaſque in campis ducunt choreas, & quaſi vnius ducis metuentes imperium, ſubito euaneſcunt ad ſignum, & ad ſua diuerticula reuertuntur. Interdum nolarum inter eos auditur ſonitus, & ſe nonnunquã ſpiritus hominum vita defunctorum mẽtiuntur.

Ex his quoque dæmonibus quidam incubones theſaurorum, quos auaritia mortalium in terra abſcondit, & ne rurſus in vſus hominum perueniant, eos ſubducunt, furantur, & cuſtodiunt, & quandoque de loco in locum tranſportant.

Sextum

Sextum genus dæmonum appellatur *Lucifugum*, propterea quod lucem maxime horrent & detestantur, quia nec diebus vnquam apparent, nec alio modo corpus, quam de nocte possunt accipere. Genus dæmonum imperscrutabile, ac penitus tenebrosum, passionibus frigidis agitatum, malitiosum, inquietum, & perturbatum, quod occurrentes homines violenter comprimit nocturnis horis, sæpiusque Deo permittente aut flatu quodam interficit, aut contactu.

Hæc, additis tamen nonnullis, de dæmonum generibus Trithemius, nos singula exemplis & historiarum authoritate confirmabimus.

Dæmones ab Hebraicis Malachim raaim, vocati, olim pluribus, quam nunc, formis apparuerunt, vnde nata illa veterum de infernalium Deorum multitudine opinio, quorum præcipuos videamus.

Hecate triuiorum & quadriuiorum præses, triplici facie, equi dextra, sinistra canis, media fœminæ, ea aduentante terra tremebat, & tædarum fulgor cernebatur,

tur, etiam Empusa dicebatur, fuit vxor Plutonis, & eadem quæ & Proserpina.

Pluto, Deus diuitiarum, qui & Mammon Hebræis, Ægyptiis Serapis.

Charon, de quo Virg. 6. *Æneid*, Homer. & Sen. *in Herc. fur.*

Cerberus, canis terræ, eo enim nomine dæmones à Zoroastre vocantur.

Alastores, admodum truculenti, forte iidem cum Nemesi, quæ vltrix scelerum.

Satyri, horum princeps Faunus, iis terribiles & inopinati soni tribuebantur, pro quibus auerruncandis Ioui Fauno prisci immolabant, eratque ei dicata ædes in Auentino. Dicuntur & Ægypanes, capripedes, quales à Poëtis finguntur, horum tripudia sæpe in Atlante monte visa feruntur.

Eurynomus, dæmon longis & prominulis dentibus, corpore liuido ac cadauerosо formidabilis, pelle vulpina tectus, vescitur cadaueribus mortuorum, eaque vsque ad ossa deuorat.

Succedunt *Sphynx* illa adeo decantata, de qua Strabo *lib. 9.* Apollod *li. 3. Biblioth.*

Har-

Harpyiæ, de quibus Hesiod. *in Theog.* Apollod. *libr.* 1. *Biblioth.* *Gorgones* tres, *Sirenes*, quæ & *Erinnyes*, siue *Eumenides* tres, Nymphæ, eæque vel aereæ, vt Sibyllæ, vel terrestres, vt Oreades, Napeæ, Dryades, Hamadryades, vel denique aquaticæ, vt Nereides, Naiades, quas omnes dæmonum spectra fuisse constat. Huc spectant nutricum terriculamenta, quibus infantes terrent.

Cap. XIX.

De Diuinationibus.

De Magia hactenus in genere, & dæmoniorum speciebus variis, sequitur Diuinatio, quæ est *significatio occultorum ex pactis conuentis cum dæmone*, estque tam futurorum quam præteritorum & præsentium, modo illa occulta sint, & ab hominum cognitione remota, nec natura, arteue perficitur, sed pacto cum dæmonibus inito: estque illud pactum itidem vel expressum, vel tacitum.

Sciendum, dæmonem non omnia, sed tantum quædam diuinatione reuelare posse:

posse: nec enim certo aliquid præscire potest, sed ex verisimilibus præ se fert præscire, apud eos, qui ei seruiunt. Certo enim prædicere non potest ea, quæ omnino libere sunt futura, qualia sunt, quæ à voluntate Dei sola dependent, itidem quæ ex humani arbitrii libertate, & denique quæ omnino & proprie futura sunt contingentia, quamdiu causam certam & determinatam non habent. Potest tamen ex his, quæ certo non nouit, multa probabiliter tantum & per coniecturas prædicere, ob summam scilicet experientiam, & ingenii acumen, quo naturalium rerum facultates, voluntates hominum, & affectus præclare nouit.

Potest & ea prædicere, quæ à causis necessariis dependent, & ab aliis causis naturalibus nequeunt impediri. Quæ vero non necessario, sed vt plurimum duntaxat, eueniunt, & ab aliis naturalibus causis impediri possunt, per coniecturas cognoscit, & probabiliter prædicere solet. Itidem & ea certo quæ à Deo sibi permissa nouit, prædicere potest. Posset etiam

iam præteritorum exacta cognitione, quoad præsentia vero, quæcunque actu exteriore sunt prædita, nouit etiã & præfari potest. Quinimo, si cogitationes hominum vultu, vel membri alicuius motu, aut mutatione, vel alio extrinseco signo prodantur, peritissime eas reuelare & prædicere potest. Solet etiam homines interdum phantasmatibus immissis adeo perturbare, vt vix ad aliud aduertere, vel cogitare possit, quam quod tali modo ei suggestum est, & sic etiam cogitationes hominis prædicit. Solet etiam interdum ea celeritate in prædicendo vti, vt ea quæ alibi longo interuallo gesta sunt, celeriter annuntiet, vt diu ante prædicta ab ignaris existimentur. Ambigue tamen plerunque respondere solet, vt in vtramuis partem flecti & interpretari eius dicta possint, quod in veterum oraculis fit manifestum.

Diuinatio autem superstitiosa & illicita est, inprimis si dæmoni cultus latriæ, vel duliæ exhibetur: quod & Alcimus ille Auitus agnouit, qui *lib.2.carm.c.15.* sic canit:

Ne

Nec minus hos pulsat temeraria cura sciendi,
Angit præscitus ducti quos terminus æui;
Cum tamen eductas inferni sedibus vmbras
Colloquium miscere putent, & nota referre:
Spiritus erroris, qui tum bacchatur in illis,
Ad consulta parat, vanis responsa figuris.
Ne vero multis dicamus singula verbis,
Præsenti illusus damnabitur ille perenni
Iudicio, quisquis vetitum cognoscere tentat.

CAP. XX.

De speciebus Diuinationis.

DIuinationum species duæ sunt, in quibus scilicet apertum pactum, siue inuocatio interuenit, Dæmonomantiæ siue oraculorum & vaticiniorum exempla sunt, oracula Iouis Dodonæi, Ammonis, Apollinis Delphici, Deli; Veneris Gazensis, fiebantque hæc oracula plerumque per maleficos, maleficasue, tales fuere Pythiæ, vates Colophonii, Trophonii, forsan & Sibyllæ, tales & Extatici, qui à dæmone extra se rapti, motu & sensu priuati, mira enunciare solent.

Cap. XXI.

De Necromantia.

Necromantia Manganiæ ſpecies pręcipua, olim certis locis ſtatis & certis ceremoniis exercebatur. Hanc deſcribunt inter alios Poetæ, vt Horat, *Sat*. 8.

----carminibus quæ verſant atque venenis
Humanos animos, has nullo perdere poſſum
Nec prohibere modo, ſimul ac vaga luna decorũ
Protulit os, quin oſſa legant, herbaſq; nocentes,
Vidi egomet nigra ſua cinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, paſſoq; capillo,
Cum Sagana maiore vlulãtem, (pallor vtraſq;
Fecerat horrendas aſpectu) ſcalpere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam
Cœperunt, cruor in foſſam diffuſus, vt inde
Maneis elicerent animas reſponſa daturas,
Lanea & effigies erat, altera cerea, maior
Lanea, quæ pœnis compeſceret inferiorem.
Cerea ſuppliciter ſtabat ſeruilibus, vtq;
Iam peritura modo Hecaten vocat altera ſauã,
Altera Tiſiphonem.

Tertullianus tamen docet, non defunctorum vmbras, ſed ipſos dæmones earum

earum loco apparere, & operari sub earum prætextu ac specie. Operatio sane periculosa, & respondenti, & quærenti, cum vterque interdum vel mente abalienetur, vel à dæmone rapiatur. Exempla apud Scriptores obuia sunt.

CAP. XXII.

De Hydromantia, & aliis Maganiæ speciebus.

HYdromantia, siue diuinatio per aquas, veteribus plurimum vsitata: inter alios Imperatori Andronico, qui ob ingentia flagitia cunctis sese inuisum sciens, totum permisit iis, qui futura ex aquis, quasi per caliginem coniiciunt, & imagines futuratum rerum, velut ex vmbra solarium radiorum, consectantur. Ac ipse quidem iis nocturnis sacris interesse noluit, metu famæ; sed illud Hagiochristophoritæ Stephano mandauit. Is Setho adhibito, qui ab ineunte ætate talibus oraculis deditus, oculos propterea Manuelis Imp. iussu amiserat, certo ritu percunctatur, quis post Andronicum sit im-

peraturus, malus genius in aquis primas nominis Isaaci litteras exhibuit, sed ordine conuerso, SI pro IS, idque secunda responsione addidit fore intra exaltationem crucis.

Variæ eius sunt species, vna per annulum fiebat de filo in aqua suspensum, & vasculi latera constitutis ictibus pulsantem, alia coniectis in aquam statiuam tribus lapillis, & obseruatis gyris, qui trifariam inuicem implexi, circa lapillos diffundebantur: alia ex aquæ calore sumitur, & imaginibus in ea apparentibus. Statuebatur etiam interdum cyathus aqua plenus, & verbis immurmuratis obseruatur, num aqua sponte efferuescens effunderetur. Aliqui itidem aquam in vitreum catinum effundunt, oleiq; guttulam admiscent, & sic in aqua mira se cernere posse putant. Solebant mulieres Germanæ olim sonum, vortices & circumuolutiones amnium notare, exque iis futura præsagire.

Sunt & alia Manganiæ genera: Lecanomantia, quæ hodie Turcis est familiaris.

ris. In peluim enim aqua plenam cum variis characteribus lapides pretiosos iniiciunt, vt & auri, argentique laminas: quibus peractis responsum ex fundo peluis auditur.

Gastromantia, quæ fiebat per phialas ventricosas similiter aqua plenas, & inspectante puro puero, vel muliere prægnante, quibus responsi loco certæ figuræ & imagines apparebant.

Catoptromantia, quæ rerum quæsitarum figuras in speculis politis exhibet, hac Iulianus Apostata Imp. vsus fertur.

Cristallomantia huic similis, nisi quod in cristalli frustis, annulis, vel aliis vasculis inclusis, fiat, vel etiam nudis, & in cylindrum aut obeliscum cõformatis, quibus etiam dæmon se inhabitare fingit.

Dactylomantia diuinat annulis ad certam cœli posituram constructis, vel incantatis, & super tripodem ad certa verba motis.

Onymantia siue Onychomantia oleo ac fuligine impolluti pueri vnguem illinit, & q[illegible]es vngue versus solem ob-

uerſo, certum quid ſubmurmurantes, omnia quæ cupiebant, videbant.

Pharmacia ſiue Pharmaceutria, qua vtuntur incantatores, qui diuinant ſolo freti dæmonis commercio, præter incantationes nihil adhibentes.

Coſcinomantia, hac cribrum imponebatur forcipi, forcipem binis digitis comprehendebant, & eleuabant, & præmiſſas verbis conceptis ſubdebant nomina eorum, de quibus ſuſpicabantur eos furtum, vel aliud occultum crimen perpetraſſe: reum vero illum putabant, quo nominato cribrum tremebat, nutabat, vel conuertebatur.

Axinomantia, qua ſecurim rotundo infigebant palo, & ex eius motu furem deprehendi putabant.

Cephalomãtia priſcis Germanis in vſu fuit: fiebat capite aſini ſuper prunas aſſo.

Eſt & alia ſpecies, quæ fit per clauem, cui circumdabant chartulam inſcriptam nomen ſuſpecti, deinde clauem alligabant ſacræ Scripturæ codici, hunc virgo ſuſtentabat, & verbis certis murmuratis char-

chartula ad nomen criminosi vertebatur, mouebaturque.

In hisce speciebus omnibus verba Magica interuenire solent, ideoque non dubitandum, quin pactum cum dæmone interueniat.

CAP. XXIIII.

De Haruspicina.

HAruspicum diuinatio erat ex viuæ adhuc victimæ obseruatione, dum vel producebatur, vel ad aram sistebatur, attrectabatur vel vinum ei infundebatur, iuxta illud Senec. *in Oedip.*

Appellite aris candidum tergo bouem
Coruoq; nunquam colla depressum iugo,
Optima sanctas victima ante aras stetit.
---Huc propere admoue:
Et sparge salsa colla taurorum mola.
Placidone vultu sacra, & admotas manus
Patiuntur?---
Vnone terram vulnere afflicti petunt?
Vtrum citatus vulnere angusto micat,
An lentus altas irrigat plagas cruor?

Succedit Extispicina, qua motum & singu-

ſingula mactatæ hoſtiæ membra rimabantur, maxime autem iecur: de hac idem Seneca *in eadem Tragœd.* ſic ait:

Genitor, quid hoc eſt? non leui motu, vt ſolent
Agitata trepidare exta, ſed totas manus
Quatiunt, nouisq́; proſilit venis cruor,
Cor marcet ægrum penitus, ac merſum latet,
Liuentq́; venæ, magna pars fibris abeſt,
Et felle nigro tabidum ſpumat iecur.
At ſemper omen vnico imperio graue,
En capita paribus bina conſurgunt thoris
Sed vtrumque caſum tenuis abſcondit caput
Membrana, latebram rebus occultis negans.
Septemq́; venas tendit: has omnes retro
Prohibens reuerti limes obliquus ſecat,
Mutatus ordo eſt, ſede nil propria iacet,
Sed acta retro cuncta.

Eſt & Pyromantia, in qua interdum pix trita in ignem ſpargebatur, interdum tedæ pice illitæ accendebantur, & certis characteribus ſignabantur, ſi flamma tedarum in vnum coibat, proſperum, ſi lambens & diuiſa apparebat, infelicem, ſi tricuſpis aſſurgebat,glorioſum euentum, ſi varie diſperſa, ægro mortem, ſano morbum,

bum, si crepitans infortunium, si subito extincta, ingens periculum ominabantur. Interdum hostiam in ignem coniiciebant, & considerabat flammam ignis, victimarii, vtrum scilicet in vnam coiret pyramidem, quod prosperum putabant, an vero diuideretur, hoc enim aduersum: an etiam flamma cito victimam comprehenderet, an subito extingueretur. De hac idem Poëta:

Tir. *Quid flamma? largas iamne comprehendit dapes?*

Man. *Subito refulsit lumen, & subito occidit.*

Tir. *Vtrumue clarus ignis, & nitidus stetit,*
Rectusq; purum verticem cœlo tulit,
Et summam in auras fusus explicauit comam?
An latera circumserpit incertus viæ,
Et fluctuante turbibus fumo labat?

Man. *Non vna facies mobilis flammæ fuit.*
Imbrifera quales implicat varios sibi
Iris colores parte quæ magna poli
Curuata picto nunciat nimbos sinu.
Quis desit illi, quisue sit dubites color:
Cærulea fuluis mista oberrauit notis,
Sanguinea rursus, vltimum in tenebras abit:

Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit----
Immugit aris ignis, & trepidant foci.

Est & alia species Captromantia obseruatrix fumi, vel enim grana sesami, vel papaueris nigri in ardentes prunas iaciebant, & inde surgentem fumum notabant, vel sine huiusmodi granis solum fumum obseruabant, de quo Dion Cassius. Huc illud pertinere puto de Nymphæo prope Apolloniam: Ibi & oraculum (inquit) editur, idque hoc modo: Thure accepto precibus eius rei ergo, quam volunt, factis, ipsum thus, vt secum eas preces deferat, ad ignem proiiciunt, tum si ratum sit futurum votum, ab igni thus è vestigio corripitur, at si thus extra ignem forte deciderit, accurrens ignis id abripit & consumit, sin irritum erit votum, neque accipitur ab igni thus, & si in ipsam flammam coniiciatur, recedit ab ea, atque effugit. Ita in vtramque partem ignis futura prædicit, morte nuptiisque exceptis.

Solet etiam diuinatio interdum ex cineri-

neribus fieri ſacrificiorum. Et hodie quoque viget eius veſtigium, cum res, quæ ad diuinandum proponitur, digito vel bacillo cineri inſcribitur, & cinis aëri puro permittitur & attenditur ad litteras, quæ in cinere agitato apparent. Vel cum aliquem tres perſonas cogitare iubent, quibuſcum matrimonium inire optet, tum tres ducunt ſulcos in cinere, ille vero iubet ſingulis perſonis ſuum ſulcum deligere, tum auerſus ſtare, ne ſulcos videat, quos interea alter tamdiu forcipe oſtendit, donec eorum vnus ab illo ter deligatur, & quam illi ſulcus deſtinabat, ea ſpondetur ipſi vxor futura.

Conſideratur etiam aliquando color vtriuſque laticis in ſacrificiis fuſi, hinc Æneid. 4. *Virg.*

Vidit thuricremis cum dona imponeret aris
(Horrendum dictu) latices nigreſcere ſacros
Fuſaq; in obſcœnum ſe vertere vina cruorem.
Hoc viſum nulli, non ipſi effata ſorori.

Solent etiam Turcæ hodie diuinationis ſpecie quadam vti, cum ceram liquant

& aquæ guttatim instillant, figurasque inde ortas obseruant.

Ex lauri quoque ramis diuinatio sumebatur, si enim obstrepebat cum fragore prosperum signum existimabant, contra, si taceret extincto adusta foco.

Succedit Botanomantia, cum ex verbenæ Lunariæ, saluiæ, myricæ, ficus & aliorum simplicium foliis, ramisue, consignatis quærentium nomine & quæstione, futuri cognitio petitur. De hac per tamaricem Cœl. Rhod. *lib. 8. ant. lect. ca. 29.* Apollo mirica vates sanxit prænuntiare mortalibus futura, propterea insignem fruticem hunc Nicander vatem vocat. Quin & Magi item Scythæ miricino vaticinantur ligno. Sed & in Lesbo Apollo myricæ ramum tenet, &c.

Est & alia species diuinationis, ῥαϐδομάντεια dicta, quæ multiplex, de ea sic Rhodig. *lib. 7. antiq. cap. 29.* Virgas in rebus diuinis eximii cuiusdam vsus fuisse veteribus, ex plerisque coniectare licet. Nam qui Persicos ritus diligentius animaduersos literis mandarunt, illorum Magos,

gos, qui ſacrificiis perficiuntur, carnes ſuper myrto & lauro poſitas tradunt ſubtilibus virgis adurere; mox oleum lacte melleque commixtum conſpergere ac comprecari, faſciculos ex mirica pertenues manutenentes. In Pyrethiorum meditullio ſurrecta ſtabat ara, vbi inextinctus ſeruaretur ignis, fierentque itidem comprecationes non ſine myricinis virgis. Sicut in Scythia quoque, vbi vaticini traduntur plures, ſaliginis virgis diuinatio concipitur, quas diſſoluunt, ac ſeparatim ſingulis humi conſtratis vaticinantur, interim virgas comprehendentes componenteſque. Narees vero, quos eſſe Androgynos putat Herodotus, tiliam ſcindentes trifariam, digitoſque implicando ac reſoluendo præcinunt futura.

Præter has ſpecies aliæ itidem multæ occurrunt, quæ ad ſuperiores reduci poſſunt, & communiter ab omnibus ſanioris religionis myſticis damnantur.

(∴)

Cap. XXIV.

De Augurio & Auspicio.

SEquitur Augurium & Auspicium ars incerta & illicita, ab omnibus Christicolis merito damnanda, & est obseruatio cunctarum rerum subito, & ex inopinato, & insolito accidentium, instituta ad cognitionem futurorum vel occultorum.

Species eius quinque sunt. *Primum* ex cœlo. *Secundum* ex auium volatu vel garritu. *Tertium* ex tripudio pullorum. *Quartum* ex quadrupedibus. *Quintum* ex diris & portentis sumitur.

Primum genus è cœlo captato ab augure prospectu, & cœli regione designata, exemplum auspicium, nempe tonitru vel fulmen siue fulgetrum, quorum alia bruta, quæ nulla ratione naturæ nitebantur, & vana prorsus erant, alia Fatidica, de quibus multa Plinius & Seneca.

Secundum ab auibus petebatur, Auium aliæ sunt oscines, quę cantu seu garritu, aliæ præpetes, quæ volatu prædicere puta-

putabantur harumque variæ differentiæ, funebres, cliuiæ, arculæ, volseræ, remotis, inebræ, &c.

De pullorum tripudio tertium. Duo à pullariis pulli in cauea seruabãtur. Primo diluculo, imperato de more silentio, puls aut offa, cauea reclusa pullis obiiciebatur, si negligerent cibum, sinistrum auspicium, si auide depascerentur, ita vt aliqua ex rostro deciderent, & terram ferirent, dicebatur Solistimum tripudium, & habebatur secundum.

Ex quadrupedibus quartum sumitur, vocabatur auspicium pedestre, vt apud veteres Germanos ex equorum fremitu. Proprium gentis, inquit Tacitus, Germanorum, equorum quoque præsagia, ac monitus experiri. Publice aluntur, iisdem nemoribus, ac lucis candidi, & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos & rex, vel princeps ciuitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus obseruant, nec vlli auspicio maior fides. Vid. Tiraq. *ad Alex. ab Alex. gen. li. 5. c. 3.*

Quintum sunt omina, quæ itidem ad

auguria pertinent, ex Claudiani sententia, vbi sic canit:

Nullaque dies non triste minatur
Augurium quoties flauentia ferra comarum
Sponte cadunt, quoties exudat ab vbere sanguis,
Larga vel inuito prorumpunt flumina vultu,
Iniussæque manus, nutantia pectora tundunt,
Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt,
Tympana si quatiam, planctum mihi tympana reddunt,
Ah vereor, ne quid portendant omina veri.

Huc referuntur omnia prodigia & ostenta, quatenus quis vanam quandam ex his instituit diuinationem. Horum certa interpretatio à diuina reuelatione dependet, non autem licet ea ad fortuitos euentus certo prædicẽdos trahere.

CAP. XXV.

De sortibus illicitis.

SEquitur sors, eaque triplex, Diuinatoria, Consultoria, & Diuisoria.

Diuinatoria multiplex est, interdum eadem cum oraculo, vt sortes Deliæ, interdum à materia, cui inscribuntur, no-

men mutuantur, vt quæ bacillis, pilulis, aut tabellis inſcriptæ, in altum, vel vrnam coniiciuntur.

Eſt & aleatoria, de qua apu Propertiũ.

Me quoq; per talos venerem quærente ſecundos,
Damnoſi ſemper ſubſiliere canes.

De Germanis Tacitus: Sortium, inquit, conſuetudo ſimplex, virgam fructiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos, ſuper candidam veſtem temere, ac fortuito ſpargunt, mox ſi publice conſulatur, ſacerdos ciuitatis, ſin priuatim, ipſe paterfamilias, precatus Deos, cœlumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur.

Sequitur Geomantia, quæ ſedecim figurarum in abaco nomina diſpungit, ex ſedecim additis diuerſis punctorum coordinationibus, quæ nomina ſuis aſtris putant reſpondere.

Eſt & Stoichemantia, quæ fiebat libro Homeri, vel Virgilii, & attento primo, qui obuius erat inſpicienti verſus, hodie, ſed.

sed impie, fit Bibliorum sacrorum aperto codice.

Alia itidem est species sortium, quando definitus locus in partes æquales describitur, & vnicuique singulæ alphabeti literæ inscribuntur, deinde singulis literis granum frumenti imponitur, postea ad hoc enutritus gallus gallinaceus introducitur, qui grana comedat, & notantur literæ, quarum primum granum depascitur. Hac vsus & deceptus est Imp. Valens, in inquirendo eius successore.

Sequitur Pythagoricum commentum, cum petitur ex nomine consulentis, per elementa nominis diuersimode collocata, & quasi per anagrammatismum faustum quid, vel sinistrum indicantia, futuri boni, malive præcognitio.

Huic affinis est numerorum diuinatio, siue sors, quæ per numeros fit, vbi valor literarum consideratur, cuius nomen maiores numeros continet. Paululum circa hanc distat Chaldæorum operatio, qui Alphabetum distribuunt in tres decades, quibusdam literis repetitis, & nomina

mina petentium resoluta commutant in numeros, singulosque numeros suis planetis attribuunt.

Circa has sortium species notandum, vt & reliqua auguria, grauiter in illarum obseruantia peccari maxime si quis per ea futura contingentia prædicere conatur, & semper periculosum est, iuxta illas actiones, vitamque suam instituere, solet enim sæpissime Deus, iusto iudicio permittere, vt tales obseruatores male pereant.

CAP. XXVI.

De Coniectatione.

Coniectatio sequitur sortium doctrinam, estque & licita, & illicita, & quidem vel physica, siue naturalis, vel politica.

Naturales coniectationes suas, quæ causis naturalibus vere innituntur, vt sunt coniectationes agricolarum, nautarum, medicorum, &c.

Coniectatio quæ ex astris sumitur, duplex est Astronomica, quæ licita, & nititur

tur

tur principiis vniuersalibus, & incommutabilibus, & assequitur scientiam artis suę futurorum, veluti, reuolutionis annorum, ecclipsium, &c. Astrologia, quæ principiis communibus, & variabilibus nititur, & prædicit effecta euentuum futurorum, non necessariorum, sed contingentium, quasi ab astris necessitudine aliquá dependentium.

Huius sunt partes quattuor. Prima, circa reuolutiones versatur, & prædicit totius anni, bello, paceque vicissitudines, aëris salubritatem, morbos. Secunda themata natiuitatum cõtinet, docens, quid homini tota vita sigillatim obuenturum sit. Tertia, electionum vocatur, docens, quid in singulis rebus consulto, & vtiliter faciendum, omittendum, quandoq; quibusve locis singula agenda. Quarta, est imaginum sculpendarum, præstigiosa, & incerta, quoq; longius à principiis communibus astronomiæ canonibus recedit, eo mendacio, vanitatique propius accedit.

Pro certitudine tamen horum subsequen-

quentes regulæ obseruandæ: 1. Astronomus non recedens à suis vniuersalibus, commensuratis, & immediatis principiis, potest iuxta regulas artis suæ certo prædicere, etiam multis antequam euenit, annis, vniuersales illos suæ artis euentus, 2. Astrologiæ species illa prima non est superstitiosa, si tantum profitetur opinionem cum formidine contrarii. Secunda, non est superstitiosa, si tantum profitetur suspicionem, Tertia, non est superstitiosa, si tantum dicat se æstimare, quod res bene successura, & reuera animo suo non plus tribuat, quam verbis præ se ferat. 3. Astrologia vllo istorum modorum vlterius tendens, & prædicens aliquid, vt certo euenturum, illicita est, & vana nec artis, aut sciētiæ nomine digna.

Peccatur autem in his, quando Christianæ fidei mysteria astrorum dispositioni subiiciuntur, quando futura contingentia ex astris præscire posse, quis putat, & quando interrogationes, & electiones cœlestibus corporibus subiiciuntur, vt certæ causæ, & tanquam legis decreto.

CAP. XXVII.

De Coniectatione ex elementis, meteoris, plantis, arboribus, brutis.

CONiectationes hæ, omnes sub naturalibus comprehenduntur, & de iis, apud Philosophos abunde. Adea etiam aliquo modo, quatenus scilic. ex naturalibus principiis oriuntur, prædictiones & coniectationes medicorum etiam referri possunt; de his in genere sciendum. Signa ex quibus medici coniecturam capere solent, esse, vel proba, quæ naturalibus principiis, & vera experientia comprobantur, vel vana, & ambigua proborum quædam sanam integramque valetudinem testantur, quædam degenerantem, quædam succumbentem, & iam victam, quædam se recolligentem, & victricem, non tamen vlla tam certa sunt, quin aliquando fallant; hinc prouerbialis illa locutio, præstat à sexaginta medicis, quam à scabinis sex damnari, & morti adiudicari.

Cap. XXVIII.

De physiognomonica pranotione.

PHysiognomus ex pilorum & membrorum corporis colore, habitudine, & proportione, de temperie, valetudine, quædam etiam de moribus, ingenio, & animi affectionibus se scire putat, præcipue autem frontem cōsiderat, & faciem. Huic affinis est chiromantia, quæ proprie manuum lineamenta considerat.

Hanc physiognomiam veteres medici inprimis Hippocrates, & Galenus diligenter excoluerunt, quin & Aristoteles integro libello, Polemon in lib. de nat. signis.

Artis fundamenta sunt varia, primum petitur à quadam cum animantibus similitudine, verbi gratia, qui paruis sunt oculis, inuidi censentur, quia simiæ tales sunt, qui magnis, stupidi, sicut boues & asini, ratio affertur, quia cum Deus, author naturæ, gnarus esset, qua quodque animal indole donasset singulis ea etiam addidit instrumenta, quæ huic indoli

quam

quam aptiſſima forent. Secundum fundamentum à moribus gentium, atq; prouinciarum deſumitur, quę cum certo ſint corporis habitu vt plurimum quoq; ingeniis, & moribus diſcrepant, v.g Phyſiognomi definiūt nimium fuſcos ſtupidos ac pertinaces eſſe, quoniam tales ēt ſunt Æthiopes. Tertium à ſexu, v.g. quia mulieres candida, vt plurimum & molli ſunt cute, ſuntq; pauidæ ac leues, ideo candidos & molli cute moribus iiſdem obnoxios cenſent. Quarto, rimantur affectus animi, à motu membrorum, & corporis affectionibus, tale eſt illud Hippocratis: Oculi non nictantes ſunt iracundi, quoniam irati fixis & immotis oculis intuentur. Quintum fundamentum petitur ex collatione ſignorum, cum ſignis, & hinc Canon, phyſiognomica conſiſtens intra cancellos naturalis philoſophię licita eſt, & habet aliquid probabilitatis.

Cap. XXIX.

De Coniectatione ex ſomniis.

SOmnium eſt motus, aut figmentum animæ multiforme, futurorum bonorum,

rum, vel malorum significatiuum.

Eius prædictionis fundamentum est experientia, & quædam similitudo proportionis rei somniatæ ad euentum. Experientia est, si vnus, vel plures, cum hoc, vel illud somniassent, talem euẽtum sunt postea experti. Similitudo proportionis inuestigatur. Primo ex quodam more, ac consuetudine, secũdo, ex vocabuli significatione, tertio ex rei significatione hieroglyphica, quarto à fabulosis narrationibus, quinto de aliqua ratione Astronomica, vel Physica, longe petita. Huius artis tales conclusiones obseruẽtur, prima, quædam somnia verum euentum prænuntiãt, quædam nullum, vel illusorium, hinc quædam obseruare licet, quædam non. secunda, tam certa sunt somnia, quã eorum certa causa, si hæc effectum certum certo producit, etiam somniorum prædictio certa, si probabiliter, probabilis, si fortuito, fortuita & fallax. Hinc Theologi somnia diuidunt, in diuina, naturalia, & dæmoniaca. Naturalia exurgũt, vel à causa intrinseca somnianti, vel ex-

extrinſeca. Intrinſeca naſcuntur, quædam ab anima inprimis, & dicitur cauſa animalis, aut moralis, quædam potiſſimum à corpore, & vocatur corporalis. Intrinſeca cauſa animalis eſt, quando ſomnia obueniunt, de rebus, quibus cogitatio vigilantibus valde fuit intenta.

Corporalis intrinſeca cauſa eſt, quæ naſcitur à præſenti diſpoſitione ac temperamento corporis, quod vel inedia exhauſtum, vel crapula repletum, vel humore aliquo nimis prædominante ægreſcit, vel alio vitio interiore laborat. Ex his cauſis vel pacata, vel turbida, vel multiformia, & varia ſomnia naſcuntur. Quibus ſanguis eſt copioſior, roſas ſomniant, choreas, conuiuia, & læta omnia. Phlegmatici mare, aquas, balnea, nauigationes, ſubmerſiones, onera grauantia. Cholerici colores flauos, rixas, pugnas, incendia. Melancholici fumos, caliginem, tenebras, nocturnas oberrationes, ſpectra, mortem, & cuncta triſtia. Quibus veſica humore plena, ſomniant de lacubus, fluuiis, imbribus. Quibus dominantur ſinceri

ceri purique ſucci, putant in ſomnis voluturi ſe inter odoratos, ſuaueſque floſculos, contra in ſordidis verſari ſe, quorum in corpore humores fœtidi, putridique coaceruantur. Quibus viſcido humore affectæ, obſtructæque ſunt partes cerebri poſteriores, illi comprimi ac ſuffocari ſibi in ſomnis videntur. Hic morbus Ephialtus, ſiue Incubus à Latinis vocatur.

Naturalis extrinſeca ſomniorum cauſa eſt, quando dormientis imaginatio ab agente extrinſeco mouetur. Huiuſmodi agens duplex eſt, alterum aer ambiens, alterum impreſſio, ſiue influxus corporum cœleſtium.

Hinc tertia concluſio ſomniorum ex naturalibus cauſis deriuatorum, eatenus licita eſt obſeruatio & interpretatio, quatenus cauſæ naturales effectibus cauſæ ſuæ coniunctis ſunt adæquatæ.

Diabolica ſomnia ſunt, quæ mali ſpiritus inſidioſe ſpiritibus dormientibus immittunt, vel ad perturbationes animi ciendas, vel ad occultorum, aut futuro-

rum significationem. De his hæc obseruetur conclusio. Dæmoniaca somnia obseruare, vt fraudem dæmonis cauens licet, ad occultorum scientiam, vel euentus futuros, nec licet, nec expedit.

Diuina somnia nobis à Deo ministerio angelorum bonorum immittuntur, exempla horum in S. Scriptura obuia habemus, de his conclusio talis: Diuinorum somniorum obseruatio licita est, sed interpretatio solis conuenit ijs, quibus à Deo facta est reuelatio interpretationis.

Hæc de Magia in genere, breuiuscule quidem, & quasi per certa axiomata, quæ tamen totam illam illius dispositionem indicant, perstringunt, & rimantur, iuxta quæ etiam alias abstrusiores & occultiores quæstiones, quæ hanc circa materiam verti solent, enodari ac iudicari possunt.

Summopere autem in hisce omnibus cauendum, ne dæmonum astutia decepti, incauti operam illicitis hisce artibus adiungamur, & tandem cum iis in æternos abripiamur cruciatus.

Cap

CAP. XXX.

De Stigmatibus supernaturalibus, materialibus Diabolicis, quæ inuruntur sortilegis, & primo,

An dentur?

S. *Propheta Iob c.* 40. Behemoth seu Diaboli malitiam, potentiam & vim describens, inter alia ait, *v.* 11. Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Quæ verba *D. Thomæ* referente, *Iacob. Ianson. in Enarrat. suis* intelligit de lumbis & vmbilico ipsius Behemoth, quæ assumit quando se alicui hominum exhibet incubum, vel succubum, per quod hominibus vtriusque sexus multum prævalet, & dicitur caudam, quam conformiter ad hunc sensum intelligit eam, quam *Horatius* vocat salacem *v.* 12. STRINGERE QVASI CEDRVM ET HABERE NERVOS TESTICVLORVM PERPLEXOS, propter incommoda, quæ concumbentibus in locis genitalibus adfert, de quibus *Nicol. Remig. in Dæmonolat.* Pergit autem idem Propheta *Eod. cap.*

verſ.23. Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternũ? Quod idẽ *Ianſon.* explicat, Paciſcitur Behemoth, id eſt, teſte *D. Hieronymo*, Diabolus, nonnunquã hominibus prꝗſtare obſequium, quod & variè præſtat, ſed illa ſeruitus non eſt ſempiterna, quia etiam in hac vita aſtutè & fraudulenter exercet in heros ſuos Tyrannidem, maximè inuiſibiliter, quæ poſtmodum adferet apertam ſeruitutem, atque intolerabilem. O pactum nefandum, quod an homo ad imaginem Dei conditus reciprocè vnquam cum Sathana ineat, poſſet quis meritò dubitare: Verum audiamus iterum S. Scripturam.

S. Propheta Iſaias ca.28.v.15. inuehitur in impios hac increpatione. Dixiſtis enim: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum. Illam *Paul. Grilland. lib.2. de ſortil. c.3. quæro n.1. & 3.* accipit de duplici ſortilegorum profeſſione, Tacita ſcilicet & expreſſa: Tacita eorundem profeſſio eſt; promiſſio quædam quam quis facit alteri profeſſo, de obſeruando, quæ ſibi mandauerit; ſub promiſſione, quod

quod grandia faciet, & mirabilia in vitæ suæ, cognoscet futura, & multa alia his similia, dummodo (horrendum relatu) fidem Catholicã abiiciat; & omnia Ecclesiastica Sacramenta pessundet, & totis viribus adhærebit cultui & obedientiæ sui Magistri, & illum tanquam verum Principem adorabit, cultum veræ adorationis sub idolorum forma sibi præstando, & alia huiusmodi turpiora pacta & cuncta opera per ipsum facienda, sub illius nomine, & deuotione conficiet. Et ista dicitur tacita professio; quia non fit propriè cum Dæmone, sed cum ministro Dæmonis, & in quâ nullæ interueniunt solemnitates extrinsecę, quæ interuenire solent in expressã professione; sicut est solennis stipulatio, fides præstita per iuramentum de obseruantia promissorum, item homagium & fidelitatis promissio, erga Dæmonem, vna cum postergatione, & omnimodã diuisione fidei Christianæ *cap. Quique 7. caus. 16. quæst. 2.* Altera vero dicitur professio expressa, & est illa, quæ fit expressè cum proprio Dæmone, & ista est

 duplex,

duplex, vna quæ dicitur solennis, siue publica: Altera quæ dicitur priuata. Solennis enim & publica est illa, quæ fit cum Dæmone, dum publicè residet in solio Maiestatis, more Principis quando fiunt vniuersales cõgregationes, omnium strigarum & maleficiorum Necromanticorum cuiuscunque generis professorum, certis nocturnis horis, locis & temporibus, Dæmonis arbitrio constitutis, vbi vniuersis astantibus fit ista professio, quãdoque iisdem solennitatibus, quibus fieri solent veræ, & solennes professiones Monachorum in Christi religione, dum profitentur regulam monasticam, relinquẽtes Mundum. Illi vero faciunt cõtrarium, quia relinquunt primo Deum Saluatorem abnegantes illius nomen, & Baptismum, & postea reliqua Sacramenta Ecclesiæ. Deinde adhærent Dæmoni, eidemque perpetuam obedientiam spontanea voluntate promittunt, superaddẽtes etiam Sacramentum, & homagium indubitatum, adeo vt penitus efficiantur Dæmoni subiecti, & plus quam vasalli, &
ex

ex tunc contrahitur inter hominem, & Dæmonem amicitia quædam, & pestifera societas, ex qua multa mala, & turpissima opera, quæ referre non audeo. *Hæc Paul. Grill. cit. loc.* Cui explicationi, præter alias, consentit *R. P. Cornel. à Lapide in d. c. 28. Is. v. 15.* ex *Viega. in Apoc. 2. Comment. 4. Sect. 4. n. 5.* quando ait. Cum inferno fecimus prouisionem dicunt impii seu commeatum, quasi simul nauigaturi, & ad eundem portum appulsuri: venimus in colloquium cum inferno, cum eoque transegimus & pepegimus, dicunt Prophetæ multa visu horrenda esse in inferno, nos iam ea vidimus, nec horremus: *Diabolus non est tam ater, vt pingitur.* Ita sagis apparens Dæmon, cum eisque ludens, persuadet eis sibi benè esse, se esse lætum ac felicem, nec igne inferni multum cruciari, ac proinde ipsas post mortem eadem cum ipso lætâ sorte potituras. Quibus meritò intonat Psaltes. *Filii hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium.* Inuocatis Achzib, id est mendacium, vti aliqui pressi à

Catholicis implorant opem Turcarum, sed post victoriam Turca eos subigit, eisque iugum Turcicum imponit, vt Budæ & Hungariæ auorum memoria accidisse scimus. Hanc pactionem dum perpenderem venit mihi in mentem feudi ligii de quo *tit. 99. lib. 2. Feud.* formula, cum iuramento ligio, prout describuntur à *Phil. Camer. oper. subcis. siue meditat. hist. cent. 1. ca. 6.* Rex vasalli ligij, manus vtriusque digitis pollicibus apprehensis, suosque intra pollices iis insertis, deuinxit illos suis, stetitque super Euangelia. Hic rursum vasallus ligius Magistro præeunte verba. Ego me inquit cum liberis, successoribusque meis, liberum hominem statuo, dedicoque, eumque me hic sisto. Hæc ter dixit, regios osculatus est pollices, Rexque ore suo, illius os excepit, moxque comiter appellatum dimisit. Hic est vsitatus iurandi mos, in verba Regum Neapolitanorum quique ligios eorum se faciunt, ipsum hunc seruant; Dicti inde Ligii, quod Ligatis Reges pollicibus, illos fidei, imperiisque sic suis deuinciant, atque ob-

noxios

noxios statuant. Non absimilis implicatio dexterarum, & pollicum olim quoque inter Reges vsitata fuit, quando fœdera exactissima inter se statuerunt, de quâ rehabemus exemplum apud *Cornel. Tacit.* Mos inquit est Regibus, quoties in societatem coeunt, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodosque præstringere. Mox vbi sanguis in artus extremos se effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sauciatum.

Similem huic ritum ferè Sathanas, cum Lamiis fœdus initurus obseruare solet. Eos enim vel cogit proprio sanguine formulam obligationis mutuæ conscribere, vt ait *Camerar. cit. loc. ex Bodini Dæmonomania lib. 2. c. 4.* cuius hæc sunt verba: Expressa autem conuentio modo fit verbis sine scripto, modo scriptura confirmatur: cum Sathanas, vt suos obstringat sibi, (antequam impetrent postulata sua) iubet eos, si nouerint, instrumentum obligationis conficere, atque subscribere,

 inter-

interdum etiam ipsorum sanguine prout veteres in sanciendis coniurationibus, fæderibusque vtebantur, *vt apud Liu. lib.* 2. & apud *Tacitum de Regibus Armeniæ* legimus, sic ergo cum suis experitur Sathanas. Sic Theophilum quendam narratur se ita Diabolo obligasse, & quidem obligatione sanguine exarata.

(Aliud exemplum legitur in vita S. Basilii Magni de seruo Protherii, taliter Diabolo, ad conciliandum amorem filiæ sui Domini se obligantis. Quod exemplum latè recenset *Pierre de Lancre in Tableau De L'inconstance des Mauais Anges Liure Troisiesme. Discours.* 1. qui ibidem plura exempla narrat, quæ breuitatis amore ex proposito omitto.) Quod si ab iis, qui se in totum addixerunt Diabolo, vt aliqui id consequantur, ipse metuerit, vt cultum suum deferant, tunc non satis habet, si disertis verbis Deo renunciauerint, sed notam eis insuper imprimit. Et sic ex corporibus eorum in signum initi fœderis sanguinem violenter extrahit, non secus, vti striges puerorum sanguinem sugere vel

per

per se acus, aut vnguis ministerio, vel opere dæmonis venis apertis, factisq; paruis cicatricibus in locis vitalibus & delicatis extrahere, & sic eos enecare solent. De notis autem quod dicimus tam certum est, quam quod certissimum, & ordinariè Iudicum oculis compertum, nisi in locis abditissimis occultentur: vt ex Valesio quodam Nobili audiui, his inter labia notam esse, illis sub palpebris, aliis in sede si metuunt retegi, plurimum ad dextrum humerum, fœminis vero ad femur sub axilla, aut in genitalibus. Cenomannus ille Triscalanus nomine, qui à præfecto Prætorio damnatus, veniam hac lege impetrauit, vt affines eiusdem criminis indicaret: cum in populares cōuentus ducebatur aut de facie agnoscebat eos, quos in Sabathismis viderat, aut ex alia nota quam ipsi inter se nouerant: atque vt dictum confirmaret, signatos aiebat esse notis, quæ in nudis deprehendi possent. Excussi itaque illi, quos accusarat signati deprehendebantur, quasi vestigio leporis, sed exorte sensus adeo, vt

vel ad ossa vsque intima, in loco vestigii punctum percussi magi, non persentiscerent. Hoc vero mirabilius, quod plerique Magi non satis esse ducunt, Deo renunciasse, nisi se iterum in nomine Diaboli baptizari curauerint, & vocari altero nomine. Ex quo fit vt Magis duo ferè sint nomina. Hactenus Bodinus.

Idem Bodinus lib. 4. Dæmono. ca. 4. Quod periuri hominis testimonium nunquam admittitur, ad præsumptionem aut indicium constituendum, nisi aut testis certus, aut præsumptio violentissima eum adiuuerit, verbi gratia, si comperietur signatus Magus, quo indicio Triscalanus retexit plurimos. Nam à Vallesio quodam nobili viro accepi, quosdam à Diabolo sub palpebrarum altera, quosdam sub vno ex labiis, quosdam in podice obsignari. Triscalanus autem dicebat signatis Magis inesse quasi vestigium leporis, & quamuis ad ossa vsque indatur acus, locum tamen sensus expertem esse. Firmissima quidem præsumptio hæc, & cum indiciis aliis sufficiens,

vt

vt procedatur ad condemnationem.

Alterum testimonium super ea re est *Nicolai Remigij, Sereniß. Ducis Lotharingiæ Consiliarij & Cognitoris publici, qui lib. 1. Dæmonolatr. ca. 5.* experientia edoctus in eundem sensum discurrit. Dominorum in seruos importuna multis modis olim fuisse fertur crudelitas & sæuitia: sed in hoc maximè intolerabilis, quod notis eos compungendos curabant, vt haberent, quod fugam, si in quam se fortè darent, comitaretur, ac deprehensioni magis obnoxios redderet. His adeò barbaræ atque inhumanæ seruitutis veluti tesseris inustos, ac insignitos etiam hodie habet Diabolus, quos recens sibi addixit, præcipuéque (aiunt nonnulli) ea in parte corporis, quæ à Sacrorum Antistite in die cuiusque initiali Chrismate fuit delibuta: vti fures abacti pecoris signa, suis impressis immutare solent. Quæ ratio sicuti parùm probabilis mihi videtur (nam & ea quæ Antistes nihil attigit, sæpius vnguibus suis fœdant, atque inquinant, quemadmodum post dicetur) Ità non facilè

ipsorum sententiæ accesserim, qui negant abolendis baptismi monumentis, notas eiusmodi quasi contrarium symbolum adhiberi: Frustra enim (inquiunt) expungi è corpore is Character tentatur, qui penitus hæret in anima, cum eadem ratione superfluum dici posset in baptismo aquam corpori superiniicere, qua tamen animi lues interior elui denotatur. Certè vtut res sit iam nihil ea dubitationis habere potest: postquam non modo, qui eam suo damno experti sunt diuersi diuersis locis, atque temporibus eandem referunt: sed etiam iis indiciis comprobant, quæ sint oculis manifesta, dum vestigia ostendũt, & rei nouitate prodigiosa, cum sine doloris vllo sensu, vulnus ea parte, quæ sic vngue Dæmonis est exarata, (Communiter illam Lamiæ in Confessionibus suis lingua Vbiorum, ein Teuffelstras vocant) penitus admittunt. Alexia Belhoria 1. Nicolæa Morelia, 2. & Ioanna Gerardina, 3. Concorditer declarauerunt, se illud perfidiæ suæ symbolum in summa fronte inustum habere. Quiri-

na

na Xallæa.4.in Occipite: Claudia Fellæa 5.in pectore & à tergo: Dominica Euræa 6.in coxa: Iana Nigra 7.in dextro: Iaquelina Xalueta 8 in sinistro humero. Atque eiusmodi vestigia in illo ipso, quo à fide defecerunt temporis momento, sibi à Dæmone inscripta fuisse. Et quod magis mirum videri possit, totus ille locus ita exanguis est, ac sensu labefactatus, vt ne admissa quidem acus altissimè, aut dolorem faciat, aut sanguinis minimum eliciat. Idque ita iam pro comperto habent rerum capitalium vindices, vt inde quæstionis ac tormentorum sæpè initium faciant. Quod non & ita pridem Spinalij re fuit iam probatum. Nam cum Isabella Pardæa.9.ibi, ob sortilegij crimen comprehensa, vrbis præfecto partem corporis sic à Dæmone inscriptam indicasset, subiit ei in animum, experiri, verumne id esset, quod de eiusmodi stupore ferebatur. Ergo iussit in eam aciculam penitissimè infigi, atque inculcari. Quod cum in satis magna hominum frequentia esset factum, & incruentum omninò vulnus

appa-

apparuit, & nullum saga doloris, vel minimi indicium adspicientib. dedit. Rursus Brindisij, ibi Claudia Bogarta 10. tormentis iam exhibenda, ad cutem vt moris est, detonsa fuerat, obidq; cicatricem nudam in summa fronte ostendebat. Suspicatus igitur Quæstor quod verè erat, scilicet impressi à Dæmone vnguis vestigium, quod antè capillis tegeretur, in id iubet aciculam altissimè infigi: Quod cum esset factum, nec illa doloris vllo sensu affici, nec vulnus, vel tantillum cruore manare visum est. Perstitit tamen verum negare, ac dicere eum olim ex iactu lapidis torporem esse obductum. Sed postmodum tormentis admota, non tãtum agnouit, id sibi à Dæmone inflictum fuisse sed & plurima alia, quæ indignissimè ab eo passa fuerat, enumerauit. Nouissimè 11. & Essæi, qui pagus ab hac vrbe milliario abest, (inquit Remigius) cum hoc loci Dynasta præsens in Mugeta sortilegij rea lictorem periclitari iussisset, ac is illam idcirco nudam statuisset, inuestigaturus sicubi tesseram illam reperiret, tan-

tandem in sinistro femine macula verrucæ instar apparuit, in quam cum ferrum, vel quantum poterat adegisset, nec à Mugera vocem, nec ab ipso vulnere sanguinis guttam vllam elicere atque exprimere potuit: Cum rursus locum maculæ proximum leuiter etiam vulnerasset ingentem ea ex dolore clamorem edidit, largus cruor sese inde effudit.

Idem *Remigius lib. 2. Dæmonolatr. cap. 2. pag. mihi, 192.* demonstraturus luem istam sortilegij sæpè in liberos ipsa parentum labefactione demanare, refert, quod Dominica Falluæa, cum iuncos religandæ viti vnà cum matre diuelleret, ac humi iacentes se, vt fit, à labore recrearent: cœpit post aliquot sermones illam mater monere, ne ad vllius rei adspectum formidaret, si quæ se forte insolentior ostendisset: nihil enim ab illa futurum periculi. At cum hæc dixisset, momento adstitisse humana forma aliquid, quod adspicientibus appareret calceario homini simile, erat enim incinctus ventrali sparsim pice contaminato, à quo tandem, cum

cum esset in eius verba iureiurando adacta, ac in nouæ militiæ signum iniecto in frontem vngue notata, tandem est compressa, ipsa vidente matre, quæ & vicissim se illi stuprandam præbuit præsente se filia; Hactenus *Remigius*.

Simile testimonium tertio præbet *Lambert. Dan. Dialog. de Sortiar. c.* 4, his verbis. Hæc ferè prima est contractus inter eos ineundi ratio. Sathan primo loco hoc ab istis exigit, vt planè liberè & apertè, vero Deo rerum omnium Creatori, & cæli abyssique Domino renuncient, sibique seruiant qui se tunc dissimulanter Sathanam esse profitetur. Itaque in posterum ab ipsius nutu & voluntate pendeant, auxilioque innitantur. Quæ veri Dei abnegatio & scelestissima abiuratio est primus istorum execrandorum hominum Sathanæ conciliandorum gradus & ingressus, primaque istius negotii stipulatio. Hoc modo & tam fœdo in eius mancipium receptis istis, Sathan iam notam imprimit, vel dentibus, vel manu, & liberè quemquam effari iubet, quid à se fieri

fieri expetat, docetque tutissimas & occultissimas sui vlciscendi, si quos oderunt, vias, &c.

Imò *Idem eod. Capite* paulo superius, hæc verba audacter refert: Hoc enim verè tibi affirmarim, nullum non sortiarium cum Sathana fœdus & commercium iniisse, seque illi deuouisse. In cuius suæ addictionis fidem notam à Sathana inustam & impressam aliqua corporis sui parte gestant illi, alii quidem sub oculorum palpebra, alii inter nates ipsas, alii in oris palato, vt ea ratione illa sit occulta & ignota. Quanquam autem quidam velint non omnes Sortiarios esse aliquo stigmate à Sathana notatos, & compunctos, sed eos tantum de quibus ipse dubitat: quos aut sibi fidos ducit, eos absque nota relinqui: Certius tamen veriusque dixerim, neminem ex illis esse, cui non impresserit sui in eum iuris & potestatis aliquod indicium & vestigium. Quod vt facilè agnoscant rerum capitalium & huiusmodi scelerum iudices, id imprimis curant, postquam isti capti fuerunt, vt toto corpore

pore tondeantur, nouaculaque abradantur, ne fortè sub pilo corporis celetur hoc stigma. Pactum igitur cum Sathana contraxerunt, vicissimque stipulati consenserunt. Sathan quidem, vt illi pro Deo se in posterum agnoscant, & colant: Illi autem, vt eos Sathan iuuet, & inuocatus adsit. Itaque ex pacto Sathan iis succurrit, & ad eorum preces & vota agit: ipsi vicissim eius monitis parent, atque obsequuntur. Hactenus *Danæus*.

Quarto prioribus authoribus assensum in eodem hoc themate adhibet *Thomas Erastus in disputatione de Lamiis. pag. mihi, 523.* his verbis. Cæterum vt esse magis noris, signum corporibus earum, post manuum stipulationem oscula & amplexus, imprimit, modò in vna, modo in alia parte (in quod sine sensu illarum vel integram acum, aut ferrum aliquod acutum abscondere valeas) vt eo ipso, ceu Sacramento ipsos sibi deuinciat. Quanquam non nego vnam non esse notam pacti seu fœderis vbique & in omnibus, libenter enim variat, vt facilius decipiat.

Omnes

Omnes nihilominus vno consensu, quocunque loco & tempore interrogentur: hoc ipsum confitentur. Tametsi capitale sibi fore prouideant. Hucusque *Erastus*.

Quintò non absimilia narrat *Petr. Gregor. Tholos. in Syntagm. iur. vniuersi. lib.* 34. *ca.* 21. *nu.* 10. quando ait. Erubescerem certè hoc dicere, ni me exempla firmarent, quæ in oculis omnium in Gallia sunt. Nam & Tholosæ hoc anno 1577. tot maleficæ & sortilegæ in senatu vndique reæ peractæ sunt, vt omnium reorum, qui à duobus annis ante fuerunt, quorumcunque criminum numerum superarent, & maleficiorum cumulo vincerent, ferè plus, quam quadringentæ, quarum pars Vulcano sacratæ, aliæ aliis tormentis sublatæ, vel emendatæ. Et quod mirum est, omnes ferè à Diabolo notam inustam certo loco habebant: prodiderùntque execrabilia plura & impia, &c. In eandem sententiam, ita quoque *Petrus Erodius lib.* 5. *rerum iudicatarum tit. de malefic.* 11. *Edit.* 2. Nuper extitere apud Valenses & Cenomanos vicinos nostrarum Andium, qui

ex

ex hoc maleficio damnati sunt, & quos in tormentis audio confessos, se sacris (quæ Sabbatha vocant) rituatim initiari, tum Christianismum abiurare, & profiteri Paganismum: deinde à tergo notari signis, &c.

Sextò; Quid *Martinus Del-Rio* de hisce stigmatibus sentiat, tu, LECTOR BENEVOLE, ex verbis eius, quæ ex *lib.* 2. *Disquisit. Magic, quæst.* 21. *pag. mihi*, 103. adscribam, collige & iudica: qui sic ait. Similem Dæmonis operationem cernere est, in stigmatum illa tessara, quam Diabolus imprimit strigibus: quæ sic sensu destituitur, vt nec acus longissimæ fixura dolorem minimum adferat, neque sanguinem eliciat: Et paulò post, *Claud. Charond. lib. iam laudato not.* 1. Scribit stigma famosæ illius sagæ, cui nomen Bayazonne, in humero sinistro valdè latens, & imperfectissimè delineatum denarij tamẽ magnitudine, quasi à centro ductis filamentis ad peripheriam, prorsus omnis expers sensus fuisse. Suspicio etiam me tenet, illud gemini carbonis signum in Allobro-

gis

gis fœminæ pedibus stigma fuisse. Solent huius signi variæ esse figuræ, vestigij leporini, manus bufoniæ, catelli nigri, quale signum visebatur in tergo *Ioan. de Vaulx Stabulensis*, in quo illud singulare. *Pet. Oranus*. Quæsitor negotii obseruauit, si acu, vel graphio profundius adacto perforares, nullum doloris sensum reus percipiebat, nec quicquam querebatur, si verò à tergo, ita vt videre ipse nequiret, eminus signo illius catelli minareris digito erecto, tanquam si acriter torqueretur, reum subitò torqueri solitum. Huius rei caussam physicam non inuenio, moralem hanc suspicor, contemptu indoluisse Dęmonem superbissimum, & sic irritatum sæuisse in mancipij sui cruciatum. *Sic Del-Rio. cit. loc.*

Septimò, *Matthias Berlich. in part. 3. Conclus. Practicab. 4. num. 153.* inter coniecturas, præsumptiones, argumenta ac euidentiora indicia ad torturam facientia refert, Si nota inusta inueniatur, & quis signatus deprehenditur, eamque *num. 154. seq.* eò facilius ait à iudice cognosci, quia

vt

vt plurimum habet signum, seu vestigium leporis,& locus ille, vbi nota inusta est, prorsus sensus expers est, vt quamuis acus ad ossa vsque indatur, tamen venefica nullum omninò dolorem sentiat, nec sanguis ex eo fluat.

Sed audiamus. *Pierre de Lancre:*

Ait pag. 183. Mais il dict aussi. vers. nous auons veu.

Nos vidimus centum depositiones plurium puerorum, qui ab anno ætatis sexto vsque ad duodecimum & vltra, inierunt cum ipso (scilicet Diabolo) pactum, renuntiarunt Deo, & receperunt sigillum & signum insensibile vti serui.

Et pag. 296. §. Il monstre sa marque.

Monstrauit scilicet Lycantropus quidam Iuuenis suum stigma, quod malignus Spiritus ipsi impressit, quod est veluti circulus interius insensibilis, vti & aliorum Maleficorum, & quemadmodum membra tacta à fulgure cœlesti sunt in loco percusso insensibilia. Vna ex certioribus probationibus huius criminis,& quod quis se subiecerit Diabolo, est stigma,

ma, quemadmodum omnes qui de hoc ſcripſerunt, obſeruarunt: quod aliquando imprimitur fronti, aliquando labijs, aliquando ſub pupillâ, aliquando in partibus pudendis, aliquando alibi ſecundum placitum Dæmonis maligni.

Idem pag. 317. §. Il eſt parcillement.

Similiter quoq; notandum eſt, quod ſit ſignatus à Diabolo paruo aliquo ſigno in dorſo, quod cum eſſet notoriè inſenſibile tempore proceſſus Iudiciarij & clarè viſibile, modò cum ſit (per pœnitentiam ſcilicet) extra pactum Diaboli, incipit eſſe multum ſenſibile, & parum viſibile. (Quod & nos vidimus & recognouimus in pluribus noſtris teſtibus ex *Laburt.*, qui poſt crimen maleficij redierunt ad bonum ſtatum & penitus deſeruerunt iſtam abominationem.

Nouum præter ſuperiora teſtimonium ſuppeditat ***Reuerend. P. Cornelius à Lapide in Epiſt. 2. Sancti Petri c. 2. Edit. Lugdun. fol. 356.*** Hiſce verbis. Hoc ſeculo ſecta eſt Diaboliſtarum, qui gloriantur ſe ſortiarios eſſe, & Diaboli Charactere inſignitos, quem,

G vbi

vbi vino incaluere, nudata carne alijs o-
ſtendere non verentur: Auditum eſt ex i-
pſorum confeſſione, quod numerus eo-
rum vſque ad 60. millia excreuerit in
Gallijs. Dicunt ſe aliquid credere, vbi ex-
pedit, nihil viciſſim credere, vbi ſic expe-
dit. Ità ex libro Pariſienſi, *Reſcius* in Cen-
turia ſectarum.

Accommodatiſſima quoque ad hoc
thema peti poſſunt ex *Henrici de Monte a-
cuto Lucubratiunculis*, qui de *Mimica Dæmo-
nis fol.* 19. *ait.* Mimicam Dæmonis quis
non videt? ſignabantur Dei ſerui in vete-
ri lege (per circumciſionem) ſignantur
& hodie Baptiſmi ſignaculo indelebili;
Dei ſimiolus (Sathan) ſuos etiam ſignare
voluit; Quæ ars Dæmonis *ſuos ſeruos ſi-
gnandi* à Magia Zoroaſtris ad alias fluxit.
Deæ Syriæ Aſtartes, ſeu Aſtergatis ſacerdo-
tes ferro ſe pariter inurebant *in carpo ma-
nu*, aut in ceruice, cuius rei teſtis eſt Luca-
nus Apoſtata in Dialogo περὶ Συρίης θεᾶ
id eſt, De Syria Dea, ϛίζονται δὲ πάντες οἱ
μὲν ἐς καρπὰς οἱ δὲ ἐς αὐχένας, id eſt ſi-
gnantur verò omnes, hi quidem in
ma-

manum: illi vero in ceruicem.

Idem ibidem alia duo exempla ex Antiquis Philosophis refert *fol. 61.* his verbis: Peritiores artis Magicæ, ac Dæmoni suo cariores quadam notâ ab ipso impressâ signatos fuisse certum est, Epimenidis Malefici corpus multis incisum Characteribus, post eius obitum inuentum fuisse (lib. περὶ σοφῶν, id est, de Philosophis prodit *Hesychius*. Pythagoras Abari familiaris, & coætaneus, & magus pariter, *aureum Characterem impressum gerebat* in femore *idem fol.* 170. Quod quidem Laërtius in eius vitâ obscurè indicauit scribẽs: Nudatum aliquando eius femur aureum apparuisse fama est, hoc ita refert *Laertius*, sed non explicat. Iamblychus autem, qui magicæ artis peritus erat, hanc rem Magicam & intellexit, & exposuit *in lib. de vita Pythagora.* Etsi tamen sub ambage, & verborum circuitione obscura. Magnum enim erat piaculum arcanæ Philosophiæ vulgare mysteria (sic Magiam vocabant) & in apertum proferre.

Idem paulo post *fol.* 92. ait. Hic mos

Dæmonis ſuos ſignandi famulos etiam hodie durat. Magis enim, & veneficis notas imprimit, vt viſum in multis. E Zoroaſtris inſtituto mitræ ſacrorum Candidati ferro inurebantur, vt quodam velut ſtigmate Dæmonis famuli ſignarétur.

Idem *fol.* 135. ſuæ mimicæ in *Orgiis* ab Orphæo inſtitutis obſeruauit inter cætera hunc ritum initiationis, ſcilicet qualiter initiari volens, ſacrorum adibat comitia (bacchanalia intelligit) ibiq; dum conſederat ſerpens aureus (vt refert Arnobius) in eius ſinum iactus, per imas corporis partes retrahebatur, &c. Et paulò poſt. Notandum tamen ſymbolum ſerpentis aurei: ſymbola enim magica aurea ſunt, ſic femur aureum Pythagoræ apud Iamblychum pro magico Charactere ipſius femori inciſa Abaris ſagitta aurea, virgulæ diuinatoriæ aureæ, falces quibus Druydæ ſuum Viſcum demetebant aureæ, & alluſit *Apuleius vbi de Aſino aureo.*

Denique in præallegatorum omnium maiorem fidem, & teſtimonium placet hic adſcribere ex *diſcurſu de ſpiritib*. *P. F. Sebaſtia-*

bastiani Michaëlis Ordinis Prædicatorum. Exemplar sententiæ cum scholijs suis, contra fascinarios latæ Aueniom, Anno Domini 1582. Vnde constat ibidem secundum stigmata illa Diabolica iudicatum fuisse verba dictæ Sententiæ talia sunt.

Visis processibus contra N.N.N. &c. Coram nobis constitutos reos accusatos, & delatos, quibus tam per vestram, & quorumlibet vestrum relationem, ac propriam Confessionem iuridicè coram nobis factam sæpius iuramento vestro medio, quàm per testium depositiones, eorumque accusationes, & alias legitimas probationes, ex dictis actis, & processu resultantes, nobis legitimè constitit, & constat, quod vos, & vestrum quilibet, Deum nostrum omnium Creatorem, & Opificem, vnum, & trinum abnegastis, & immitem Diabolum, hostem antiquum humani generis coluistis, vosque illi perpetuò deuouistis, & sacratissimo Baptismati, & his qui in eo fuerant susceptores leuantes, & proparentes, vestræque parti paradisi, & æternæ hæredi-

tatis, quam pro vobis, & toto generi humano Dominus noster Iesus Christus sua morte acquisiuit, coram præfato Cacodæmone in humanâ specie existente, abrenunciastis, infundente ipso rugiente Diabolo denuò aquam, quam accepistis, vestro verò mutato nomine, in sacro Baptismatis fonte vobis imposito, sicque aliud commentitium nomen vobis imponi fictitio Baptismate passi fuistis, & accepistis, atque in pignus fidei Dæmoni datæ, vestimentorum vestrorum fragmentum, & particulam illi dedistis, & vt à libro vitæ vos deleri, & obliterari pater mendacij curaret, signa vestra, manu propria, ipso mandante & iubente, in reproborum, damnatorum mortisque perpetuæ libro nigerrimo ad hoc parato, apposuistis: & vt ad tantam perfidiam, & impietatem vos maiori vinculo deuinciret, NOTAM, VEL STIGMA cuilibet vestrum veluti rei suæ propriæ inussit, & illius mandatis, & iussis iureiurando, super circulo, quod diuinitatis symbolum est, in terram sculpto, quæ scabellum pedum

Dei

Dei est, per vos, & quemlibet vestrum præstito vos obstrinxistis, signo Dominico, & cruce conculcato, & illi parendo, adminiculo baculi quodam nefandissimo vnguento ab ipso Diabolo vobis præscripto illiti cruribus, & positi per aëra ad locum constitutum intempesta nocte hora commoda malefactoribus, statisque diebus ab ipso tentatore portati, & translati fuistis, ibique in communi synagoga plurimorum aliorum maleficorũ, sortilegorum, & hæreticorum, fascinariorum, cultorumque Dæmonum accenso igne tetro post multas iubilationes, saltationes, comessationes, compotationes, & ludos in honorem ipsius præsidẽtis Belzebub, Principis Dæmoniorum in formam, & speciem fædissimi, & nigerrimi hirci immutati, vt Deum re, & verbis adorastis, & ad illum complicatis genibus accessistis & candelas piceas accensas obtulistis, ac illius fœdissimum, & turpissimum anum prô pudor! summa cum reuerentia ore sacrilegio deosculati estis, illumque sub veri Dei nomine inuoca-

inuocastis, illiusque auxilium & pro vindicta in omnes vobis vel infensos, vel petita denegantes exercenda efflagitastis, atque ab ipso edocti vindictas, maleficia, fascinationes, tum in humanas creaturas, tum etiam in animalia exercuistis, atque homicidia infantium quamplurima cómisistis, imprecationes, ablactationis tabes, & alios grauissimos morbos ope iam dicti Sathanæ immisistis, infantesque per vos, nonnullis etiam scientibus tantum, & annuentibus, arte iam dicta malefica, oppressos, confossos, & interfectos fuisse, ac denique in cæmiterio sepultos, noctu & clam exhumastis, atque in Synagogam prędictam fascinariorum collegium portastis: denique Dæmoniorum principi in solio sedenti obtulistis, detracta & vobis conseruata pinguedine, capite, manibus, & pedibus abscissis, truncumque decoqui, & elixari, & interdum assari curastis, iubenteque, ac mandante præfato patre vestro comedistis, & damnabiliter deuorastis, & mala malis addendo, vos viri cum succubis, vos mulieres cum in-

çubis

cubis fornicati estis, Sodomiam veram & nefandissimum crimen miserè cum illis tactu frigidissimo exercuistis; & quod etiam detestabilissimum est, Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum per vos in Ecclesia sancta Dei aliquando sumptum, iam dicti serpentis à paradiso eiecti præcepto in ore retinuistis, illudque in terram nefariè expuistis, vt cum maiori omnis contumeliæ, impietatis, & contemptus specie, Deum nostrum verum, & sanctum dehonestaretis, ipsum vero Diabolum, eiusque gloriam, honorem, triumphum, & regnum promoueretis, atque omni honore, decore, laudibus, dignitate, auctoritate, & adoratione honoraretis, decoraretis, honestaretis. Quæ omnia grauissima, horrendissima, atque nefandissima sunt directè in Omnipotentis Dei omnium Creatoris contumeliam, & iniuriam. Quam ob causam Nos FRATER FLORVS, prouincialis ordinis fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Doctor, ac sanctæ fidei in tota ista legatione Auenionensi inquisitor Generalis

lis Dei timorem præ oculis habentes, pro tribunali sedentes, per hanc nostram sententiam diffinitiuam, quam de Theologorum, & iurisperitorum Consilio maiorum more in his ferimus scriptis, Iesu Christi Domini nostri ac Beatæ Mariæ Virginis nominibus piè inuocatis, dicimus, declaramus, pronunciamus, & diffinitiuè sententiamus, vos omnes supra nominatos, & vestrum quemlibet, fuisse, & esse veros Apostatas, idololatras, sanctissimæ fidei defectores, Dei omnipotentis abnegatores, & contemptores, sodomiticos, & nefandissimi criminis reos, adulteros, fornicatores, sortilegos, maleficos, sacrilegos, hæreticos, fascinarios, homicidas, in fanticidas, Dæmonumque cultores, Sathanicæ, Diabolicæ, atque infernali disciplinæ, & damnabilis, ac reprobatæ fidei assertores, blasphemos, periuros, infames, & omnium malorum facinorum & delictorum conuictos fuisse. Ideo vos omnes vestrumque quemlibet, tanquam Sathanę membra hac nostra sententia curiæ sæculari remittimus,

rea-

realiter & in effectu condignis, & legitimis pænis eorum peculiari iudicio plectendos. Hactenvs sententia Avinionensis: Nunc sequitur Scholion 5. ad dictam sententiam P. F. Sebastiani Michaelis.

Vtrum Diabolus signet veneficos, seu Maleficos sortiarios?

Hoc punctum solum sufficiens est ad conuincendos omnes illos, qui putant esse somnia: nam experientia demonstrat euidenter, illud stigma quod habent in suis corporibus, esse ita leprosum, vt perfectè sit insensibile, tam vere vt (quemadmodum nostris vidimis oculis, & probauimus cum quadam acu) si subtiliter, immittatur in illud aliqua acus, non plus sentiant, quam si essent veri leprosi: verum oportet cauere ne animaduertant probationem, quoniam simulant se sentire. Sit vt sit, gutta aliqua sanguinis non promanat vnquam: Verum iste modus agendi Diabolo est antiquus, licet diuersimodè secundum diuersitatem temporis. *Tertull. lib. 2. aduersus Iudaos. cap. probatio*

Natiuit. Christi inquit, quod Diabolus soleat signare suos, vt imitetur Deum, qui suos in Baptismo signat interius signo vel Charactere inhærente animæ nostræ, secundum S. Paul. *Ephes.* 1.4. & S. Ioan. & vult exterius nos esse signatos per S. Chrisma & signum Crucis. Ita quoque Diabolus signat suos in anima signo peccati, & hoc signo non contentus adiungit signum exterius, & licet illi possibile sit, non tamen signat suos vno eodemque signo, nam quemadmodum dicit *Tertull. lib. de veland. Virg.* proprium Diaboli est, singulis diebus nouum aliquem modum agendi effingere. Quandoquidem hoc punctum clarè patet ex sacra Scriptura, scilicet quod Diabolus aspiret & conetur quantum potest suos signare. S. Ioannes sæpius prædixit in Apocalypsi, quod circa finem mundi certi aliqui erunt homines qui portabunt signum seu Characterem bestiæ, quod intelligendum est corporaliter secundum litteram, quemadmodum ex textu colligere licet, qui dicit quod per tale signum erit accessus cũ peruersis

uersis hominibus qui portabunt dictum signum in manibus aut in fronte. Et si nihil aliud esset, quam hæc sola experientia satis colligi posset, quod oporteat hos textus secundum litteram intelligere. Quod bene notauit & prædixit S. Hyppolitus Martyr antiquissimus, *Orat. de consummat. mundi.* Hisce verbis vtens & loquens de Diabolo, qui assumet corpus phantasticum: *Adducet* (inquit) *eos ad adorandum ipsum, ac ipsi obtemperantes sigillo suo notabit.* Ita vt appareat quod miseri isti ignorantes Malefici vel Maleficæ legerint orationem huius gloriosi Martyres; quandoquidem ipsorum depositiones, tam propriè conueniunt cum hoc, quod prædixit.

Supra positis itemque lucem adferunt illa, quæ ex diuersis locis libri illius, qui, *Histoire Admirable de la possession & conuersion D'vne pœnitente* sub nomine R.P.F. Sebastiani Michaëlis inscribitur, per translationem collecta sunt. Et quidem *pag.* 19. *vers. Interrogè*: dicitur interrogatus (scilicet Verinus Diabolus.) quomodò pos-

ſet conuinci? Reſpondet, quando erit apprehenſus & ab Epiſcopo Marſilienſi miſſus in carcerem, inuenietur quod ſit ſignatus in capite ſigno Diaboli, quemadmodum presbyteri & religioſi ferunt coronam vel tonſuram in capite, quod eſt ſignum *ſiue Character* Ieſu Chriſti.

Relatio P. Michaelis, Pag. 69. in princ.

3. Quod habeat ſigna Diaboli in corpore ſuo inſenſibilia, vti probatum eſt, à la ſaincte Baume.

Pag. 70. In Principio:

Magdalena ſcilicet monſtrauit ſignum Diaboli quod habebat in pede, & cum Dominus Præſidens profundè immiſiſſet acum, Magdalena nihil ſenſit, neque ſanguis emanauit. verum cum acus immitteretur audiebatur ſonus pergameni perfoſſi.

Ibid. verſ. *laquelle pruue.* Quam probam quoque fecit 19. *Feb. Dominus Fonteine Doctor Medicinæ & Profeſſor Regius in vrbe d'Aix*, & omnes alij Doctores Medici dictæ vrbis, Dominus Merindol & Graſſi Doctores & Profeſſores Medicinæ, cum

DO-

Domino Bontemps Chirurgo & experto Anatomista dictæ vrbis, iudicantes quod esset res supernaturalis.

Pag.73.§.Adiurè de dire.

Adiuratus (scilicet Belzebub) vt dicat quales (Ludouicus magnus scilicet) cum ipso habuerit sermones, Respondit. Petijt à me vt signa sui corporis & Magdalenæ Magæ scilicet occultarem, & ad interiora corporis conuerterem, ne seruirent in testimonium contra ipsum, quod ipsi etiam promisi. NB. Diabolus fefellit Magum, vti postea per experientiam patuit.

Pag.76.§.Apres disnè.

Post prandium sunt probata signa quæ obsessa (Magdalena Maga scilicet) habebat in pedibus, in renibus, & circa cor, & sunt inuenta insensibilia: tunc dixit Beelzebub. Ego quidem conatus sum facere vti sensibilia, verum Deus me impediuit.

Ibid.§.A propos.

Quod attinet ad signa supradicta notandum est, quod Dominus Simeonis

vir

vir honoratus & probatus bene notus in hac vrbe, gerens negotia Re^mi^ Archiep. d'Aix, retulit P. Michaëlis, quod postquã signa vel stigmata in Mago (Ludouico scil.) reperta sunt, ipsum quia nouit à iuuentute, visitauerit, & familiariter scilicet responderit. Quando veni in hanc vrbem, ridebam omnes Dominos, quia habebam Dæmonem qui me posset ex totius mundi hominum manibus liberare & occultare mea signa: Et cum ego rogarem, Quomodo igitur inuenerint? Respondit, Deus immisit manum.

Pag. 79. §. Cela fait.

Hoc facto, fuit (Magus Ludouicus scilicet) inspectus circa vesperam per tres Medicos supradictos, Fonteine, Merindol & Grassi, & duos Chirurgos, Bontemps & Prouet, & cum ipsum in præsentia Dominorum Thoron & Garandeau Commissariorum supradictorum denudassent, inuenerunt constitutionem & qualitatem eius pudendam, vt ipsosmet puderet & auerterent faciem postea oculis eius velatis cum immitterent acus

in partes sensibiles, clamabat, dicens, Vos me læditis vel vulneratis: & cum non clamaret, immittebant acum totam ipso ne vnum dante signum sentimenti, & in ipso inuenerunt tria signa, & velamento oculorum deposito, reuestitus putabat nulla signa esse inuenta in suo corpore, & multum gaudens rediit ad carcerem: Verum post duos dies quando ipsi prælegebatur velatio dictorum Medicorum & Chirurgorum perterritus fuit multum, & volebat disputare, vtrum Diabolus posset signare Christianum sine suo consensu. Tunc Pater Michaëlis dixit ad Dominũ Thoron Commissarium. Si hic Homo esset Auignioni, cras manè cõbureretur: nam talia signa manifestè conuincunt & nunquam inuenta sunt, quam apud Magos, neque Deus permittit, quod sui filij & membra mystici Corporis Iesu Christi ferant signum inimici sui, verum suos signat interius Spiritu sancto per Characterem Baptismalem, & exterius in fronte per sacrum Chrisma & signum Crucis & per tale signum distinguit Electos à repro-

probatis in *Apocalypsi 7. ca.* & vt in eodem libro dicitur. Non permittet vt electi portent signum bestiæ. Aliqui volentes philosophari de hoc proposito, allegabant Deum permisisse Sathanæ, vt S. Iob per totum vulneraret percuteretque corpus; verum respondit dictus Pater, inter plagam vulnus & stigma vel signum, est magna differentia. Vulnus vel plaga infligitur ad corripiendum vel corrigẽdum, stigma imprimitur in signum seruitutis, serui Turcici ferunt signum suorum Dominorum in fronte, cauterizatum ignito ferro, verum alia res est quando à suis Dominis castigantur vsque ad sanguinẽ. S. Antonius & plures alij sunt percussi à Sathana sicut Iob, verum nunquam inuenitur quod Diabolus impresserit signum suum in illorum corporibus; plagæ cessant & pereunt, verum stigmata permanent, & si hoc esset, Diabolus poterit signare ipsum Papam & omnes Iudices: & quis est iste Paterfamilias qui vellet permittere vt sua Ouis aut Bos ferat signum alterius; sic cessauit disputatio.

pag.

pag.101.§.le soir, au soupper.

Vesperi circa cœnam Beelzebub nihil aliud agebat, quā quod grunniret. P. Frācois Billet dicebat. Quid grunnis? permitte filiam cœnare? Tunc Diabolus. Oportet me aliquod secretum tibi reuelare in despectum meum. Mane in missæ sacrificio cum me ita affligerem, fiebat propterea quia Fortitudo (scilicet Angelus bonus ita nominatus) mihi commendans ex parte Dei, me volebat cogere vt à Magdalena auferrem mea signa, quod coactus sum facere statim post communionem. Interroga ipsam si non senserit magnos dolores in omnibus illis partibus, in quibus habuit signa, quando ego ipsi illa eradicaui, quod Magdalena confitebatur ita esse dicens se ignorasse causam. Perquisita sunt loca signorum quæ non sunt inuenta, erant enim partes sensibiles & reddentes sanguinem, quæ antea fuerant mortuæ & insensibiles & non emittentes sanguinem, sed potius reddentes sonum pergameni, quod perfoditur. Magdalena vero dixit, post conuer-

uersionem meam tristabar, & dolebam me habere signa Diaboli, verùm non audebam à Deo petere abolitionem, qui nihilominus cognouit & exaudiuit desiderium meum.

Beelzebub coniuratus, dixit. Quod Fortitudo sibi reuelauerit hoc esse factum ad intercessionem D. Virginis, S. Ioannis Baptistæ, S. Michaëlis, S. Petri & S. Pauli & executores huius mandati sunt, Fortitudo & Clare videns (scilicet Angelus.) Amplius dixit quod Deus hanc illi fecerit gratiam, vt tolleret opinionem illorum, qui dicebant, Magdalenam non esse bene conuersam: & vt ipsa assecuretur, quod non amplius sit in potestate Diaboli, & animetur ad perseuerantiam in bono.

Ad extremum prætermittere non possum, quin recenseam illa, quæ de initiatione sagarum refert *Iacob VI. Rex Angliæ. in Dæmonolog. lib. 2. cap. 2.* his verbis. Quo tempore iam præsente prius, quàm quicquam amplius cum eis agere aggrediatur, requirit ab illis, vt seruitio eius addicant

cant se totos. Hoc facilè ab eis attento, tandem se detegit, & vniuersis & eorum singulis: ostendens qualis reipsa sit, facitque vt isti Deum ipsorum, baptismumque directè abnegare non vereantur, certamque sui notam quandam in partibus Corporis secretis imprimit; quæ tantisper cruda patens & hians sine cicatrice relinquitur, dum proximè sibi rursus obuij sunt facti: Ex eoque tempore nota illa ipsos dolore nullo afficit quantumcunque vellicetur, tundatur, aut prematur: id quod quotidiè sese sic habere probatur: Ita verò Diabolus cum illis agit, vt eis certò persuadeat, quod quemadmodum notam illam ipsis imprimendo dolore eos afficere, eundemque rursum sedare potuit: ita quoque omne id quod post tempus illud benè vel malè faciant, ab eo totum dependere concludant. Iam præter id quod dolor impoitabilis ille, quem in partibus corporum ipsorum, in quas notam illam sui cacodæmon impressit, experiuntur, vtilis est, ad id, ne isti notati somno sese dedant, conuentumque pro-

ximum

ximum alacriter expectent, in partem contrariam metuit Sathan, ne tanquam nouelli, & in arte ista odiosissima nondum satis fundati tyrones eius, inimici eorum obliuiscerentur, aut promissionem illam, quam ei in conuentu proximè præterito fecissent, terribilissimam esse cogitantes, contristatique ab eadem deficiendo, illam reuocarent, &c.

Cap. XXXI.

Descriptio stigmatum Diabolicorum, quibus sagæ notantur, ex Confessionibus Mariæ de Sains, Petro Lancre, aliisque cum refutatione argumentorum Binsfeldij, Del-Rij, aliorumque.

PRopositio 1. stigma Diabolicum, asserit esse carnem quandam exanguem & insensibilem opera Dæmonis circumdatam carne viua, infallibile signum siue indicium ad dignoscendum maleficos & maleficas.

Propositio 2. Adserit etiam carnem opera Dæmonis mortuam, habere dissimilitudinem euidentem ab omni carne

ne naturaliter vel vi morbi exangui.
1. Quia stigma est circumdatum carne viua, & in quauis parte corporis reperitur, nullamque putredinem habet; quod non ita apparet, in carne aliqua exangui & insensibili præter infirmitatem; quoniam huiusmodi caro, vt sæpius extremitates corporis occupat, & rarò est sine fœtore aliquo & putredine. Deinde quia stigma Diabolicum indurat pellem; quod non experimur in carne emortua naturaliter, quoniam natura reddit cutem carnis molliorem quam reddit exanguem & insensibilem.

Quia caro emortua Dæmonum opera non impedit operationem alicuius organi, quod non ita est in carne naturaliter mortua, quoniam ea sæpius adimit vsum membrorum vbi reperitur.

Præterea numquam reperitur Caro naturaliter mortua in tam exigua quantitate, vt est stigma Diabolicum, quoniam vix pisi latitudinem excedit. Denique quia caro naturaliter mortua sensu perceptibilis est, non omnia autem stigmata

Dia-

Diaboli sunt perceptibilia & stigmata visibilia maius spacium vendicant, quam non visibilia, vt patet in Principe Magiæ Ludouico.

Propositio 3. Dicit etiam, quod caro exanguis ita conditionata non poterat à Melancholia procedere, neque etiam lepræ habere rationem neque maculæ naturalis 1. Quia leprosi habent carnem fætidam & putrefactam, nec gaudent prospera valetudine: sed in corpore habentium huiusmodi stigmata, nihil fœtoris neque putredinis apparet, sunt etiam sani & optimè dispositi, ergo non habent rationem lepræ, vel erit lepra hactenus inaudita, & hominibus incognita 2. Quoniam maculę naturales nō sunt sine sensu nec exangues, vt est stigma Diabolicum 3. Quia plures sunt & reperiuntur Melancholici, in quibus nihil huiusmodi reperiri possit, oporteret autem omnes Melancholicos notas circumferre si hæc ex Melancholia dimanarent.

Propositio 4. Dicit etiam quod caro mortificata cum conditionibus supradictis

ctis possit absque periculo superstitionis aut erroris pro stigmate Diabolico iudicari: quoniam ita censebant antiquiores DD. quoniam sententia traditione ad hæc vsque tempora peruenit, & ab immemoria; fuit semper experientia teste verificata; ita quod nunquam aliquis habuisset carnem hoc modo exanguem & insensibilem & postmodum constiterit de ipsorum innocentia. Ex quibus duo inferebat, 1. Quod Diabolus mortificat carnem aliquorum qui sunt ei ab obsequio, & quod non alia nota demonstrat quod sint eius mancipia, quam per hoc quod reddit carnem horum mortuam. 2. non est temerarium propter huiusmodi indicium aliquem iudicare magum, nam si antiquiores super hoc processerunt indicio contra maleficos multò confidentius possunt moderni.

Propositio 5. Dicit etiam quod nemo possit adducere vel vnum quidem qui habuisset huiusmodi stigmata in corpore & inculpatæ vitæ iudicium tulisset, atque adeo quod propter huiusmodi indi-

cium non est æstimandum periclitari honorem aut vitam alicuius innocentis, quoniam fieri non potest vt huiusmodi notæ reperiantur in corpore alicuius innocentis.

Propositio 6. Dicit etiam quod non solum est communis opinio DD. quod omnes Malefici huiusmodi stigmata habeant, verum quod non inueniretur aliquis author qui produxisset aliquem de Magia conuictum & non huiusmodi nota insignitum. Quoniam Maleficus non est magis absque huiusmodi stigmate, quam Christianus absque charactere Baptismatis.

Propositio 7. Dicit etiam quod nonnulli plus ponderant stigmata, alii accusationes ad fundandum iudicium de crimine Magiæ, & hoc iuxta sententiam cuiuscunque? Verum tamen stigmata supra dicta sunt indicia magis infallibilia, quoniam qui accusant non possunt imprimere stigmata : sed neque Diabolus habet potestatem imprimendi alicui stigma, qui non sit de congregatione Magorum:

Ac-

Accuſatio verò poteſt aliquando procedere ex inuidia, ſiue ex errore, eò quod vnum pro alio accepiſſet. Signum quoque huius eſt, quod penè omnes certificari cupientes de perſona aliqua ſuſpecta de hoc crimine. Primum quod quærunt, eſt, an habeat ſtigma, ſitne inuentum. Ex quo inferebat, quod eſſet indicium indiciorum, & ipſa Confeſſione infallibilius. Quoniam ſi quis confiteatur ſe Magum, & non poſſit in corpore ſuo oſtendere huiuſmodi ſtigmata, non eſſet ei credendũ, niſi aliunde etiam indicia haberentur eius nequitiæ. Præterea quoniam Confeſſio poteſt eſſe ſine aliis indiciis, eò quod non inueſtigabuntur ſtigmata in corpore alicuius qui non accuſatur ab alio. Qui verò accuſant, oportet eos probare accuſationem ſuam, vt ſecundum allegata procedatur ad inquiſitionem vlteriorem.

Propoſitio 8. Dicet vlterius friuolum eſſe, quod Diabolus ſolummodò imprimeret ſtigma ſuum his quos putaret minus conſtantes fore in ſuo obſequio 1.

Quia omnes constantissimos habet, & magis quam Christiani sunt in obsequio sui Dei. 2. Quia stigma non imprimitur ad hoc vt suos reddat constantiores, sed vt discernat Magos à reliquis.

Propositio 9. Dicit vlterius, quod sicut Diabolus non potest aliquem notare suo charactere qui non sit Magus, ita non potest esse aliquis Magus & non habere characterem, quoniam in eo eleuatur contra Deum. Ex quibus consequens esse dicebat, quod si minores haberent huiusmodi stigmata, multo magis Principes & capita Magiæ.

Propositio 10. Dicit etiam quod licet omnes essent membra Diaboli, quotquot essent extra Ecclesiam, Diabolum tamen peccatores communes, aut infideles aut hæreticos non notare, sed tantum Magos. 1. Quia præ cæteris Diabolo chariores sunt & signa honoris sunt, decet autem huiusmodi honorare chariores. 2. Quia stigma datur quasi nota perpetuæ seruitutis & arctissimæ confœderationis atque societatis. Sunt autem pri

cæte-

cæteris Magi mancipia Diaboli, & cum ipso contra Deum confœderati; tum quia alii infideles putant se adorare Deum, quem Magi de proposito blasphemant, tum quia non committunt nefanda crimina Magorum, tum quia Magi amplius sunt sub potestate Diaboli extra gratiam cōstituti, propter sacrilegia quæ committunt & maleficia quæ exercent contra creaturas & alias abominationes.

Propositio 11. Dicit quod nécesse est reuera & præsentialiter interfuisse congregationi Magorū quicunq; habet huiusmodi stigmata in corpore suo. Quoniam licet Diabolus huiusmodi posset imprimere extra Sabbatha sua, non tamē consueuit propter quasdam solennitates quas adhibet, quæ difficile esset practicare extra Sabbatha sua, quoniam imprimit illa coram venerabili Sacramento cum abrenunciatione quæ fit intra manus Principis Dæmonum sedentis in throno suo.

Propositio 12. Dicit vlterius quod sicut primum stigma est indicium ad osten-

dendum, quod aliquis commisit crimina Synagogæ, quoniam non imprimitur nota huiusmodi primo die quo quis defertur ad cõgregationem, verum post commissa scelera consueta nostræ congregationis, ita quoque reiteratio stigmatum est indicium reiterasse peccata supradicta, & quidem illo ipso die quo sunt impressa, quoniam dantur in præmium. Vnde sicuti renouatio est indicium, quia renouarunt delictum consuetum, ita etiam eorundem stigmatum multiplicatio est signum præeminentiæ & gradus in Synagoga; Quoniam in quantum aliquis amplius peccat, in tantum plura recipit, Quantò autem quis malitiæ excedit, tanto inter Magos honoratiorem gradum capit. Deinde quia in Synagoga vocantur stigmata insignia dignitatis & ornamenta. Congruit autem in huiusmodi digniores præire reliquis.

Propositio 13. Dicit etiam vlterius quod Diabolus quanquam vellet non posset aliquem signare suo Charactere, qui non esset, in Synagoga sua. 1. Quoniam

niam Deus amplius curam gerit de filijs suis quam pater aliquis, aut Rex Optimus de subditis, aut Villicus de pecore suo. Si ergo Villicus non permittet pecus suum aliena nota insigniri, neq; Rex Vasallum suum accipere insigne inimicorū suorum, multo minus Deus permittet. Quia si Diabolus haberet illam potestatem, certè ipse huiusmodi stigmata imprimeret Iudicibus & maximè probis, vt per huiusmodi redderet infames & suspectos, & sic Deus in periculum duceret vitam & honorem innocentum, quod est contra eius bonitatem.

Deinde quia si Deus permitteret Diabolo vt indifferenter daret stigmata sua quibusuis etiam iustis: vtique Deus videretur Author falsitatis. In quantum stigma in corpore vnius Innocētis esset falsum stigma 1. Quia non potest aliquis habere innocentiam & interfuisse Synagogæ: præsupponit enim consensum & pactum, & nemo potest ferre stigma, & non interfuisse Synagogæ, vti dictum est. Deinde nemo potest esse innocens & com-

 missu-

misisse peccata Synagogæ: nemo verò potest ferre huiusmodi indicia, & non commisisse illa peccata.

Præterea si Deus permitteret Diabolo, innocenti imprimere suum stigma, ipse propriam possessionem traderet in manus inimici, & animas pro quibus sanguinem suum fudit, & daret inimico occasionem superbiendi se cōtra eum; nam stigma est signum seruitutis permanentis, & quod quis est mancipium Diaboli, & multò quidem arctiore seruitute quàm reliqui peccatores, qui non tradiderunt se Diabolo in possessionem permanentem & hæreditatē, quod faciunt Magi & Magæ, vnde fit vt difficillimè huiusmodi inter peccatores omnes conuertantur.

Propositio 14. Dicit vlterius Binsfeldium vnū atque Del-Rio non posse præiudicare suis opinionibus antiquioribus DD. quoniam duo tantum sunt, & sic nō possunt præualere contra reliquos, qui plus doctrina valuerunt: accedit quod aliorum doctrina conformis sit depositionibus Magorum & Magarum, qui dicunt

sunt quod omnes de Synagoga habeant Diaboli stigma; quorum depositionibus tribuendum amplius; apparet ex eo quod cum experimento loquantur, quod non habuerunt dicti DD. qui quoniam de rebus ignotis sibi loquebantur ex proprio iudicio, hinc factum est quod multa friuola nugatoria dixerunt de huiusmodi.

Refutatio Binsfeldij circa doctrinam stigmatum per Mariam de Sains.

Dicit *Binsfeldius* Principes Magiæ non habere stigma Diabolicum. Dico ego esse Mendacium, inquit Maria de Sains. Quia si qui de Congregatione non haberent huiusmodi stigmata, inferiores potius non haberent, quam superiores, eò quod Diabolus dat huiusmodi, vt insignia honoris, & præmium nefandorum operum; vnde tantum plus signantur, quantum amplius committunt de flagitijs huiusmodi. Deinde experientia oppositum docet in Magdalena, Ludouico. Dicit rursum *Binsfeldius* huiusmodi indicium nõ esse magni faciendum, eò quod

aliquis possit de facili decipi vel decipere per huiusmodi stigmata, vt puta putando vel fingendo esse stigma quod non est.

Respondeo ego Maria, quod ex parte stigmatis nullum est periculum deceptionis, in quantum stigma multum discrepat à carne exangui & insensibili siue naturaliter, siue vi morbi, vt supra dictum est. Ex quibus consequens, si aliquis non potest decipi circa Indicium stigmatis, similiter neque alium decipere poterit, quoniam alius eadem habebit signa certitudinis per quæ, & ratione quorum iudicare poterit.

Prætereà si huiusmodi stigmatibus subesse potest deceptio & fallacia, quod quæso aliud indicium quæret, vt certificetur de huiusmodi flagitio, nam huiusmodi si sit fallax etiam accusationibus non innitendum est, neq; proprijs Confessionibus, quoniam his magis infallibile, vt dictum est.

Dicit rursum Binsfeldius huiusmodi indicium non magni faciendum, quoniam nullo patrum documento sanci-

tum

tum non est, superstitiosa adinuentione non esse præsumendum.

Dico ego Maria, quod DD. traditio est, quæ de manu ad manum ad hæc tempora peruenit, & apud tribunalia, parlamenta & inquisitores in praxi obtinuit, adeò vt certificari cupientes stigmata requisierint: quibus inuentis tum cessabant dubitare, vnde nec nouum commentum est, nec quid superstitiosum, vt probatio aquæ frigidæ, neque temerarium est super hoc indicio iudicem procedere vt dictum est. Quoniam hoc indicium solitarium numquam est, sed habet comites alia indicia. Deinde qui volunt dicere huiusmodi stigmata, non esse indicia infallibilia, oportet probare suum adsertum, & adducere in medium aliud infallibile ad dignoscendum vnum Magum. Quia necessarium est aliquid admittere, vt dignosci possint; si enim nullum esset signũ infallibile, & peccata ipsorum secreta sunt, & ipsi pertinacissimi in suis negationibus non possent dignosci certitudinaliter, & sic malum cresceret in infinitum,

& præiudicium boni communis; neque satis videretur iudicibus prouisum ad hoc vt malum cum securitate conscientiæ tollerent.

Dicit *Binsfeldius* quod Dæmon si cognosceret suos ex tali signo dignosci, non imprimerent. Ad hoc ego Maria respondeo. Quod Diabolus est nimium superbus quod hoc vellet prætermittere, & nõ eis imprimere suum Characterem, quia in hoc inflatur aduersus Deum: Deindè non prodit suos ex hoc, quod imprimat suum characterem, quoniam nõ sunt stigmata reperibilia in corpore Magorum nisi designentur, eò quod dat illa multò minora quam consueuerat, proderet autem suos, si daret tam grandia, vt dicit Author Del-Rio.

Sed friuolum est dicere quod Diabolus dat stigmata sua sub similitudine vestigij leporis; experimentum sumant in quibusuis maleficis, & videant, si simile quid inuenire valeant.

Trisculanus autem ludebat eos quibus loquebatur, imo vero Diabolo instigante

gante hæc deponebat, quia si reperienda forent similia stigmata, nunquam deprehenderentur Magi, eò quod nunquã huiusmodi stigmata reperirentur.

Quod autem Del-Rio dicit stigmata Diabolum in maleficis exprimere ad similitudinem Bufonis, Araneæ, Gliris aut Canis, id ex proprio ingenio finxit, quoniam nusquam scriptum reperitur, aut quis DD. vnquam docuit, quod talia stigmata Diabolus vnquam impresserit.

Dicit etiam Binsfeldius & Del-Rio quod Diabolus deleat aliquando huiusmodi stigmata, Bodini referens exempla, in quibus postero die post deprehensionem signi fuit nota deleta. Respondet Maria, quod potest quidem occultare, Deo permittente sed non potest vlla ratione delere, & nunquam possunt deleri absque miraculo, vt contigit in Magdalena, quia mortificare carnẽ à seipso potest; sed mortuam viuificare non potest.

Dicit etiam Del-Rio quod Diabolus sua stigmata imprimit mammillis & sub labiis. Respondet Maria hoc non esse verum,

rum, non quod Diabolus non possit ibidem facere sua stigmata, verum non consueuit in occultis dare, nisi mulieribus in partibus verendis. In mammillis nullum datur, propter multitudiné venarum ibidé existentium, ita quod non essent reperibilia, vt plurimũ verò in carnosa parte.

Propositio 5. Dicit Maria, quod stigmata Synagogę sunt in duplici differentia, quædam visibilia & quædam inuisibilia. Dantur autem tam visibilia quam inuisibilia ad dignoscendum quia ex parte Diaboli sunt, & nemo insignitur eiusmodi charactere nisi stat à parte illius, nam sicut impossibile habere characteré Baptismi & non esse Christianum, ita fieri non potest, vt aliquis habeat stigma Diaboli, & non sit Magus, aut Maleficus; quia stigma datur ad eum modum, quo character Baptismi: Vnde sicut in die iudicij character Christianorum lucebit, ita apparebit exterius stigma Diabolicum in corporibus damnatorum.

Dicit etiam quod Diabolus imprimit suum stigma diuersis de causis, aliquando dum

dum renouantur contractus, & scedulæ aliquando dum abutuntur eo in signum amoris, aliquando dum voueant illi perpetuam seruitutem, aliquando etiã cum Deum & sacram hostiam extraordinario sacrilegio & blasphemia afficiunt.

Dicit etiam quod Diabolus imprimit suum stigma in corporibus Magorum, verum tamen quod sunt notæ indelebiles & quod occupant eandem partẽ corporis & imprimuntur duob. modis corporibus Magorum. Aliquando vngue ipsius Diaboli, aliquando ferro calido, illa quæ ferro calido imprimuntur visibilia sunt, deleta opera Diaboli, temporis successu redeunt ad priorem formam.

Dicit vlterius quod Dæmones dant stigma in partibus verendis, quando cohabitationem cum Creatura habent, in fundamento, quando committunt Sodomiam, in corde in signum amoris, in renibus, vt sit incitatiuum libidinis, in capite cum primum incorporantur congregationi Magorum, sue etiam quando promoueantur ad aliquam dignitatem

con-

congregationis in manibus, quando cómittunt aliquod flagitium circa Deum & Christum, in pedibus quando conculcauerunt corpus Domini. (Planè è diametro vt contrario, modo de Sigillatione ad quam sponsus sponsam inuitat. *Cant.* 8. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. *Ambros. lib. de Isaac. ca.* 8. loquitur. Signaculum inquit, Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculum in brachio: in fronte, vt semper confiteamur: in corde, vt semper diligamus, in brachio, vt semper operemur.)

Dicit insuper quod Dæmon etiam imprimit stigma suum dorso, & non habet specialem significationem dicens, quod aliquãdo plura stigmata reciperẽtur pro vna & eadem causa, & hoc in pluribus & diuersis partibus corporis, eò quod vna pars omnium non sit capax; dicens quod Dęmon nullum stigma facit absq; mortificatione carnis, quia stigma peccatum significat, mortificat verò carnem sua virtute, mediante consensu ipsius Creaturæ.

Cap.

CAP. XXXII.

Vnde probetur vlterius, quod à Diabolo sint. Prima Aitiologia.

S. *Propheta Iob cap. 41. vers. 4.* occultissimas Sathanæ fagarum que ac aliorum eius clientum & confœderatorum technas & in perniciem fidelium sancitas cõiurationes pensiculans, admirabundus inclamat. QVIS REVELABIT FACIEM INDVMENTI EIVS? *Quando nimirum seipsum transfigurat in Angelum lucis?* ET IN MEDIVM ORIS EIVS QVIS INTRABIT? VT POSSIT COGNOSCERE AMPLITVDINEM ingluuiei ac voraginis ipsius? Portas vultus eius, quem induit, ac præsefert quando apparet in specie sibi cõueniente terribilis, quis aperiet? vel sufficienter describet? Quod cum nemo possit, idipsum Dominus facere aggreditur & dicit. *vers. 5.* Per Gyrum dentium eius formido, quia vt leo rugiens ferè apparet dentatus tam terribiliter, vt ipsa dentium compositio intuentibus incutiat horrorem, *vers. 6.* Corpus illius, quæ est multitudo malo-

rum,

rum, seu Synagoga Sathanæ, Quasi scuta fusilia, quia singuli, omnem correptionem, confessionem, emendationem sibi propositam pertinaciter respuunt, & à se repellunt, atque adhærent sibi inuicem sicut corpus (compactum squamis se prementibus) quia vt singuli sua, ita & sociorũ peccata, (vt apparet in eo, quod sagæ in denunciandis suis complicibus quam difficillimæ sint) excusant & propugnant, Squamas autem defensionem peccati significare, author est *Gregorius*. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas *vers.* 7. quia obstruunt omnem viam spiritus S. tantoperè, vt ne minima quidem inspiratio valeat corda ipsorum penetrare. Vna alteri adhærebit (per conspirationem scilicet). Et tenentes se, nequaquam separabuntur *vers.* 8. per conspirationis pertinaciam. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius, vt palpebræ diluculi. *Vers.* 9. Tam immaniter enim diducit palpebras, ac si videretur cœlum diducere nocturnas tenebras, vt se se ostendere posset diluculum.

lum. Huius rei vestigium imprimit sagis & maleficis, nam istæ vt plurimum vastos habent oculos, vel præter modum turgidos & deformes, vti explicat *Iacob. Ianson.* in *Enarrat in Iob. dd. locis.* Ab hoc euidenti & permanente indicio monstrato non abludit *Iohan. Bodin. lib. 4. ca. 1. pag.* 545. qui ait, quod Inquisitorum oculi studiosè in vultum earum configendi, nō enim gens ista audiat homines in os aspicere, *Idem pag.* 607. Idque fit ex eo probabile, quod striges per modum, quo & speculum nouum inficitur ad aspectum mulieris menstruatæ, oculos habent vrentes, ita, vt solo aspectu inficiant alios & maximè pueros. *Spin. cap.* 7.

Quandoquidem igitur cum de agnoscendo quopiam agitur, locuples, testimonium, magna probatio, & propemodum certa est, quæ ex vultu petitur, qualis est iam pridem notus & visus *l. 44. ff. de relig. & sumpt. fun.* Imò longè illa certissima, cum cicatrices designantur, aut aliæ notæ, quas quis in facie, vel alia quauis parte corporis, quasi inustas, impressas

cer-

certè & fixas gerit. *d. l. stigmata 3. C. De Fabricens.* Quale illud antiquitus fieri solebat in ijs, qui pœnæ serui operi publico addicti erant: in quorum vel brachijs vel manibus nota quædam imprimebatur. *l. pen. C. de Aquæductu.* non videtur dubitandum, quin illa stigmata carnis mortificatæ exanguis & insensilis in fronte, ceruice, humeris alijsue locis corporeis inuenta, tanquam insolita suspicionem Diabolicæ tyrannidis aut herilis potestatis cooperantis arguant. Nam ad vultum quod attinet, tantū abest, vt ab aliquo homine stigmate insigniretur, vt ne serui quidem faciem vllo pacto fœdare, aut deformare liceret, imò hoc indignum, atrox & barbarum habebatur. *l. locum 17. §. 1. ff. de vsuf.* ne si quidem id fieri videretur loco pœnæ, ad quam damnatus quis fuisset, quē aliter, quam nota in facie scribenda punire placuisset, *l. 17. Cod. de pœn.* Etenim cum sit homo, vt ait *Lactant. lib. 6. vera Dei effigies ac simulacbrum,* & eius facies ad exemplum cælestis & diuinæ pulchritudinis efficta. *Gen. cap. 1.*

Ex-

Exemplumque Dei, quisq; est in imagine parua. *Manil.lib.3.Astron.* Genus esset sacrilegij,& crimen Maiestatis, si qua cicatrice & nota, vel imprimenda, vel inurenda fœdaretur, commacularetur que *l. l.17.C.de pœn.* Etiam in grauissimo flagitio (vt quidem Canonistæ nostri docent) velut si quis sigillum Principis adulterasset *cap. Ad audientiam.extra de crim.falsi. Coras.in Arrest.Tholos.annot.31.*

Proinde hæc ideò esse credenda probantur primò & ab inquisitoribus vera prædicantur, ratione sumpta ab experientia, quæ dicitur rerum magistra, *cap.ad Conditorem.3.Extrauag.de verb.Signif.* cum per vsum scientiam tribuat in operatione. *l.Certi.17.C.de Iudic.* & nedum simpliciter rerum magistra dicitur, imò efficax appellatur, quia docet, & probat. *cap. Quam sit.6.de Elect.& elect.potest.in 6.* Vnde Philosophus, Natura potentem, ars facilem, vsus promptum reddit artificem. Et cuilibet artificio præbet experientia nutrimentum *l.legatis.65.§.Ornatricibus.ff.de legat.3 l.20.ff.de fideicom.lib.§.fin.Inst.de Satisdat.*

tisdat. Imo experientiæ, tanquam ipsi naturæ credere debemus. *Bl. post fin. lect. super Inst.* vbi allegat *Arist. in proœm. Metaph. Nouell. 23. in pr.* Et sic arguitur. Id quod multiplici experientia comprobatur, non est negandum : Nihil enim certius, quam quod sensibus notificatur: quod ad experientiam pertinet : *Barthol. Spin. quæst. de Strigib. ca.* 17. ne dubitanti de experimento sensum hoc modo.

Falluntur sensus, incertũ ergò ignis an vrat?
Contingat talis responsio.
Inijciare igni donec fateare, quod vrat,
Improbe, cui ratio, cuique experientia nulla est.

Sed ea quæ de stigmatibus illis Diabolicis narrantur, sunt in diuersis locis iuxta prędeducta, vnanimiter quoad facti substantiam, ab inquisitoribus aliisq; comprobata, vt ex supra allegatis autoribus præcipuè *Petri de Lancre libr. 3. Discurs. 2.* demonstratum est, hisce vti peritis in arte est credendum *l. semel. C. de re milit. lib. 12. & l. 1. in pr. ff. de Ventr. inspic. & vtrobique Bart. cap. Proposuist. extra de Probat.*

Ex-

Expertus enim certus eſt, & magis quam ſciens non expertus, vt habetur in *procem. Metaphyſ.* Non minus etiam inhærendum eſt expertorum & ſeniorum ſententiis ſine demonſtrationibus ipſis *Philoſoph. 6. Ethic.* Imò ea quæ de peritorum conſilio iudicantur vera, non ſunt cenſenda falſa ab aliis *Abb. & modern. in d. c. Propoſuiſti. de Probat. Barthol. Spin, quæſt. de Strigib. cap.* 12.

Secunda Aetiologia.

Quod ab innumera multitudine perſonarum promiſcui ſexus aſſeritur, & vbique locorum, variisque temporibus vniformiter, quaſi vno ore loquerentur omnes, ſemper affirmatur, procul omni dubio credendum eſt, & nulla ratione negandum, vbi præcipuè talium teſtimonium admittitur in iure, & tam contra ſe, quam alios hæc ipſa ritè coram iudice manifeſtent, etiam hi, qui ſibi vitam donari deſperant, vel alij cum ſibi vitam iam donatam ſciant, hoc ipſum, & quidẽ non iam timore imminentis pœnæ coram inquiſitionibus exponant. Certius enim

enim nullum aliud testimonium in controuersijs causarum dari potest regulariter, vbi præcipuè de occultis disceptatur rebus, quam quando propria alicuius vel oralis vel literalis superest confessio, cuius exemplum habemus *Dan.* 13. contra senes adulteros, & *Luc.* 13. vbi leguntur hæc verba, (*Ex ore tuo te iudico serue nequā*) Atqui stigmata vel visibilia, vel inuisibilia à Satana in signum vel confœderationis, desposationis, subiectionis, homagii, aut domesticitatis, cuiusque sexus strigibus inuri, ibique inquisita inueniri taliter probantur. Ergo.

Maior propositio est *Barth. Spinei. in q. de strigib. c. 13. in pr.* Et probatur: quia propria rei confessio, præsertim concurrens cum facti euidentia & permanentia, id est, ipsorum stigmatum deprehensione plenè probat. *l. qui sententiam,* 16. *in med.* C. *de pæn. l.* 5. *ff. de custod. & exhib. reor. Godelman. tract. de magis & venefic. l.* 3. *c.* 7. *nu.* 1. *Iohan. Bodin. in dæmonom. lib.* 4. *c.* 3. *Andr. Geil. lib.* 1. *de Pac. publ. c.* 55. *n.* 8. etiamsi coram incompetente iudice facta fuerit *Bodin. dict. loc. lib.* 4.

lib.4.c.3.v.Persæpè iudices: Etiamsi impossibilia, & quæ contra naturam fieri videntur contineant, puta si lamia confiteatur, se ad conuentus vniuersales esse exportatam, in aërem ascendisse, in lupum vel aliam pecudem esse transmutatam, rem cum Dæmone habuisse, & similia, *Bodin. cit.loc.lib.4.c.3. Post med. v. Quod si dicatur. Berlich.part.4.concl.4.n.64.Petr.Binsfeld.de confess.malefic.part.1.concl.12. Martin. Delr. disquis.Magic.lib.2.q.16.* Multò magis in casu, vbi loquimur de impressione stigmatum, quæ iuxta potestatem & voluntatem Diaboli imprimentis, & receptiuitatem sagarum recipientium ex reciproca pactione pronam & promptam prædictis actibus naturalior est, vt inferius in seqq. aitiologiis ostendetur.

Minor propositio, vti ex Protocollis omnium inquisitorum proculdubio satis clarescit, insuper confessionibus Mariæ de Sains aliorumque strigum, examinatæ & exorcizatæ abunde liquet. Quas confessiones superius, vbi de definitione stigmatum separata sectione egi, retuli.

Itaque, quod *Aristoteles lib. 2. top. cap. 3.* ait, eos, qui negant Deum honorandum, aut parentes diligendos, pœna, eos verò, qui niuem albam, ſenſu indigere, id de illis qui ſtigmata ſagis à Dæmone imprimi negant, dici poteſt.

Tertia Aitiologia.

Ex doctrina Theologorum irrefragabile eſt, quod in dæmonibus naturalia manſere ſplendidiſſima, & in ſua prima perfectione, vti docet Theologorum Princeps *Dionyſ. 4. cap. de Diuin. nomin. D. Thomas* 1. *quæſt.* 64. *art.* 1. 2. *d* 7. *q.* 2. *art.* 1. vnde dicitur in collo eius morari fortitudinem *Iob.* 41. *verſ.* 13. Currere aduerſus Deum erecto collo, & ceruice pingui armari. *Iob.* 15. *verſ.* 26. ipſo inter creaturas nihil potentius eſſe. *Iob. d. cap.* 41. *verſ.* 24. *Hieronym. lib.* 2. *aduerſus Iouin.* Dominus etiam Ieſus Chriſtus ſe comparat Diabolo, ſicut forti fortiorem *Luc.* 11. Vnde Apoſtolus Paulus ad *Epheſ. cap.* 6. ait, non eſt nobis, inquit, colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus prin-

principes & poteſtates &c. vid. *Iaquer. in flagell. hæretic. faſ. cap.* 10.

Ex quibus infertur, quod ſi velit, poſſit ſuis mancipijs, præuia abnegatione diuina pactionibus tacitis vel expreſſis, publicis vel priuatis nec non horrenda Sodomitica commixtione ſibi deuinctis, permittente præſertim propter liberum arbitrium Diuina illud ipſum iuſtitia, ſtigmata prædicta, tanquam proprietatis aut ſubarrhationis ſymbola inurere. Quodque hoc velit, dubitatione videtur carere, Eſt enim μισάνθρωπος humani generis hoſtis infenſiſſimus, ſanguiſuga, ſemper ſanguinem humanum ſitiens. *Oſee* 7. *verſ.* 4. Eſt hominibus Leo in hac vita, vrſus in morte, coluber in gehenna: ibi enim damnatos mordet & cruciat vt aſpis. *D. Hieronym. in cap.* 5. *verſ.* 19. *Amos Proph.* Et quemadmodum Deus conditor & conſeruator eſt omnium creaturarum ſuarum, & maximè genus humanum conſeruatum vult: Ita Abaddon ille, item tyrannus Aquilonaris, ſicut in S. Scriptura nominatur, *Ioel. cap.* 2. *verſ.*

2.*verſ.*20.vel Zabolus, vt à Cypriano dicitur, perditam & deſtructam omnem naturam cupit, quod innuit ſuos ſibi deuotos ſtigmatizando, & taliter carnem illorum in certis locis mortificando, & obſtupefaciendo, ſanguinemq; naturalem exinde eliciendo, (quod & ſagæ viciſſim ex corporibus infantum aliquando ſugere dicuntur. *Spin. quæſt. de ſtrig. ca.* 2. *pag. mihi* 13. vt vel hoc ſigno quaſi proteſtationis Diabolicæ ſuis mãcipiis impreſſæ (Exemplum enim ſimilis proteſtationis ex parte Diaboli ſeruo Protherij inſinuatæ legitur *in vita S. Baſilij*, *& apud Petrum de Lancre. lib.* 3. *Diſcurſ.* 1.) Magiſtratui criminali ipſe tãquam accuſator fratrum ſuorum, inſinuet, intolerabilem eſſe illorum leuitatem, vel potius peruerſam impietatem; qui dum aliquam delectatiunculam, vt ipſi putant, temporalem quærant, immemores ſacri fœderis, cum hoſte acerrimo, (qui vel inſtar Leonis rugientis vel fideles circumambulando, vt ſacræ literæ nos monent. 1. *Pet.* 5. *verſ.* 8. vel ſicut feles, quæ magno ſilentio, & leuibus veſti-

vestigiis auiculis obrepunt, insidiando, prædam indefessus sectatur *Chrysostom. Homil.* 34. Cum ipso, inquam hoste acerrimo salutis suæ quasi colludant, & ex castris Christi, vt, perfugæ ad ipsum veluti induciis factis turpiter transeant. Dicere autem, quod Deus hæc non permittat in strigibus, est loqui sine ratione: cum Deus multò maiora mala permiserit, exigente sic malitia non timentium eum, prout fuit Angelorum irreparabilis casus: & primorum parentum, imò totius humani generis exitialis ruina, *Bart. Spin. Quæst. de Strigib. cap.* 5. Neque est mirum, quod Dominus Deus famulos suos se prius deserentes, vicissim deserat.

Quarta Aitiologia.

Contraria sententia nullam scilicet stigmatibus illis diabolicis fidem adhibere, est Reipublicæ perniciosa, primo, quia patrocinatur crimini grauissimo & nocentissimo Reipublicæ & Ecclesiæ, & impedit illius dignam castigationem. Iudices enim, quibus hæc opinio est persuasa, vel non puniunt sagas, vel non nisi

leuiter, concessa vita: hinc fit, vt innumeri eo inficiantur, & Diabolus tutò grassetur. Secundo condemnat præcipua penè tribunalia orbis Christiani tum Ecclesiastica, quà secularia, non solum imperitiæ, & imprudentiæ, quod inter stigmata naturalia & diabolica non possint distinguere, sed etiam iniustitiæ & crudelitatis, quod tam sæua morte afficiant homines ob maleficia, quæ ipsi reuera non fecerunt, sed duntaxat ex illis characteribus perperàm colligantur: Itaque hæc opinio contraria nullo modo toleranda.

Quinta Aitiologia.

In criminibus exorbitantibus & atrocissimis, quæ fiunt noctu plerumque in locis abditis & remotis, quæ sui natura non possunt probari, nisi per certum genus hominum, & in quibus nulla remanent vestigia, sed facti transeuntis sunt, & in animo plerumque consistunt, vti sortilegium, hæresis & alia, in his inquam, non est religiosè inhærendum regulis iuris, sed extra ordinem procedendum diuersa à cæteris criminibus ratione.

tione.

tione. *Innoc. in cap. cum omnes extra de constit. Alexand. & Iason in l. de Pupill. 5. §. si quis forte 4. ff. de Nou. oper. nunc.* Et à iudice animosius arbitrandum, imò ex indicijs minus legitimis ad torturam perueniēdum. *Boss. in pract. tit. de indic. n. 200.* adeò, quod, si se veritas haberi aliter non potest, coniecturalem probationem putent sufficere non solum ad torturam, sed etiam ad condemnationem. *Bald. in l. Quicunque versic. 8. de Seru. fugitiu. & l. cum probatio. ff. de Probat. Boss. d. tit. de delict. num. 18. Gylman. Vot. Cameral. tom. 2. part. 1. vot. 6. nu. 55. & 65.* & maximè *Farinac. de indicijs & tortur. quæst. 43. nu. 67. & seqq.* Quid igitur vetat, quin propter hæc stigmata, quæ iuxta assertiones Inquisitorū criminalium in nullis alijs personis, quam sortilegis communiter deprehenduntur, indicium aliquod ad torturam colligamus, cum sola effluxio sanguinis, siue ex vulnere, siue ex ore & naribus post vnum vel plures dies à morte defuncti, quia experientia hoc docuit, & rarissimè fefellit, homicidam indicet, & contra astantem

simile quid ministret. *Gomez.* 3.*var.res.*13. *n.*15 *Masc.*2.*de prob.concl* 867.*nu.* 24. *Farinac.p.*1.*tit.*5.*q.*52.*nu.*154. & ibidem ab eo citati.

Sexta Aitiologia.

Dæmon est Simia Dei, ideoque coli vult, vbi cultus fuit Deus; tum vt Deum, quatenus in ipso est, possessione sua excludat, tum vt celebrior sit eius honos & veneratio. Idcirco Antichristus sedem regiam constituet in Hierusalem, vt ostendit. *Apocal.*11.*vers.*8. ibique in templo sedebit, & coletur, vt Deus, tũ vt habeatur verus Rex Sionis, id est, Messias, successor Dauidis, & Salomonis, tum vt profanet vrbem olim sanctam, & pro templo Dei suum constituat: tum, vt euertat omnia monumenta passionis, resurrectionis, & ascensionis Christi, cuius ipse erit hostis & Antichristus. Sic experientia cõstat Dæmonem maximè insidiari monasteriis tum virorum, tum fœminarum, vt magum vel magam lubricam, turbulentam, &c. in illud inducat, quæ cæteras omnes vel turbet, vel inficiat, vt, vbi maximè cul-

cultus fuit Deus, colatur ipse, itaq; Deum suo templo quasi expellat, de eoque se vindicet. R.P. *Cornel. à Lapide in cap. 4. Osee Prophet. vers. 15.* Hinc porrò est, quia Diabolus, vt dictũ, superbissimus est, & Deo cupit in omnibus videri comparandus, quod, quemadmodũ omnipotens Deus quædam in Ecclesia sua instituit Sacramenta, quæ dignè ministrantibus, ipso assistente salutarem designant & producunt effectum, ipso, qui instituit, operante salutem: Ità & Diabolus, qui nihil plus appetit, quam æstimari Deo æqualis, quædam signa, tanquam sacramenta instituit, quibus inuocatus ab his, quibus cõfœderatur pactis, operator malignus assistit, & quoties Deus permiserit, quod rogatur malum efficit; si non permiserit, ille, nihil omnino facit: omnium siquidem effectuum Necromanticorum & maleficarum operatór est Diabolus, qui per applicationem mediorum, quæ prius ipse instituit, in materiam subiectam opus producit optatum, aliquando realiter, aliquando solummodo apparenter,

Mulieres autem maleficæ, quæ iam voluntate deprauatæ & consensu in consortium Dæmonum per pacta transierunt, notas quasdam & signa simbolica ab ipsis recipiunt, quibus aduocati mox Dæmones occurrunt. Nihil in his perniciosis operationibus Dęmonum fortius stulta credulitate maleficarum, quæ pactis augetur & votis: quoniam quantò vel Dæmonibus, vel eorum signis firmiorem adhibuerint fidem: tantò velociorem assequuntur ipsis cooperantibus operationem. voluntatis enim maleficarum nimis truculenta deprauatio eas quodammodò conuertit in furorem, quo mentem præoccupante, mox dæmones se furentibus applicant, & effectum petitionis pactis inuitati & signis, Deo permittente, insanientibus præstant. *Iohan. Trithem. Abb. in Curiosf. Reg. ad Maximil. Imp.* 1. *quæst.* 6. Dico igitur, quod sicut simia aliquomodo ad hominem accedens, humana opera exteriora, gestusq; repræsentare conatur, ita & *Lucifer*, vna ex Dei creaturis (quo ad naturam & dona quæ naturam

turam consequuntur) nobilissimis, præcipuas etiam Dei actiones, ad hominum salutem & sanctitatem à Deo ter Optim. Max. institutas effingere, & quadantenus imitari consueuit. Vnde & *D. Bern. serm. 2. de purific. circa medium*, de diuino igne *Luc.* 12. promisso agens: *habet etiam aduersarius noster*, inquit, *vtpote* DIVINORVM OPERVM ÆMVLATOR *ignem suum*, concupiscentiæ scilicet, inuidiæ, & ambitionis. Idque vt in alijs signis: quibus delectatur Sathanas; vt supra diximus, ita vel maximè de charactere loquendo dicere possumus. Sicut Deus in tribus Ecclesiæ Sacramentis *Baptismo Ordine & Confirmatione*, illis, qui hæc *Mysteria* diuina suscipiunt characterem imprimere consueuit, iuxta illud *S. Pauli* 2. *Corinth.* 1. Deus vnxit & signauit nos, Ita & dæmon *Veneficis*, quos Deo per summum nefas abnegato, ad suum seruitium ac cultum tanquam mancipia pertrahit *Characterem* imprimere solet; imò verò etiam denuò baptizare ac noua nomina imponere. Quod ne cuipiam nouũ videatur, audiat

(si lubet) vnum ex antiquissimis Ecclesiæ Catholicæ scriptoribus ac defensoribus TERTVLLIANVM, in libro, *De præscriptionibus aduersus Hæreticos cap. XL.* Diabolus (*cuius sunt partes interuertendi veritatem*) *ipsas quoque res sacramentorum Diuinorum in suis mysterijs æmulatur. Tingit & ipse quosdam vtique credentes & fideles, &c. signat illic in frontibus milites suos, &c.* Quæ verba vti fusius referuntur à *Iul. Cæsar Bulleng. lib.* 1. *de licita & vetit. Mag. cap.* 6. si paulo diligentius, ac pressius examinarentur ex illis aliquot vel causæ erui poterunt, ob quas Diabolus eos, quos à Deo, ad se pellicit, Diabolico hocce stigmate afficiat, atque consignet.

Prima causa esse potest *à crimine Plagij*, qui tanquam *Plagiarius* hominem à Christo per Baptismum, in libertatem assertum furatur, atque vt ait hic Tertullianus, *Interuertit*. Ideoq; & signum suum eo sæpè in loco vbi in Baptismo & Confirmatione Christianus signari solet, inurere atque imprimere conuenit. Sicut fures (*inquit Tullius lib. de finibus*) *earum rerum*

quas

quas furati fuerint, signa commutant. vid. *Osasc. Decis. Pedem.* 40. *num.* 2. Et quamuis ipsum Characterem, qui spiritalis est, atque in animam impressus eradicare non possit, tamen ve n ipsum signum externum (quantum illi fas est) ad maius Dei odium atq; despectum debachatur. Non secus ac pardalis (S. Basil. teste) animal ferocissimum ac homini infestissimum, si hominem verum nancisci non possit, in eius saltem effigiem (si quæ illi occurrat) rabiem suam effundit. Ita & Dæmon, summo Dei Opt. Maxim. odio flagrans, cum ipsimet nocere non possit; at in homine (qui ad illius imaginem factus est) iniuriam inferre contendit.

2. Accedit secunda causa, *ficta religionis*, vt hoc signo, quasi rem sibi Religione consecratam obsignet. Quam causam indicat Tertullianus in verbis proximè sequentibus (Res sacramentorum Diuinorum in suis mysteriis æmulatur) Nam quos alicui Deo olim Ethnici consecrabant & initiabant, *hos stigmatibus inurebant*. Hoc apertè ostendit Prudentius

περὶ στεφάνων *hym.* 10. in passione S. Romani Martyris, in quo hymno contra omnes Gentilium Deos, sectasque & sacra disputatur, his verbis.

Quid cum signandus accipit Sphragitidas? *id est, signacula*
Acus minutas Ingerunt fornacibus,
His membra pergunt vrere, vtque igniuerint,
Quamcunque partem corporis, feruens nota,
Stigmarit hanc sic consecratam, prædicant.

Ecce habes apertè, stigma; habes & *Consecrationem.*

3. Addatur tertia causa, *Insignum Amicitiæ intimæ ac familiaritatis cuiusdam eximiæ.* Vnde in illis Sathanicis cœtibus, quo sunt nequiores, honoratiores, ac Dæmoni ipsi chariores, eò plura ac maiora eius generis stigmata suscipiunt. Id apparuit ante annos aliquot apud Gallos in Gaufrido illo Massiliensium sacerdote, ac Magorum Principe, qui annis superioribus à Senatu Aquensi (ad Aquas Sextias in Delphinatu siue prouincia) condemnatus hoc ipsum in suo corpore comprobauit; Et in Germania, quædam

dam ſagarum Regina, ſtigma inſtar Coronæ Maioris ſacerdotum circa verticem habuit. Neque id mirum, ſi verum ſit (quod quædam ſagæ in hiſce partibus confeſſæ ſunt) nempè quod *ſtigmata* illa in cœtibus Magicis reluceant, non ſecus ac ligna quædam, atque animantia, ſeu vermiculi ſplendorem quendam noctu de ſe edunt, à quo Noctilucæ, appellantur. Sathan enim (vt ſupra etiam dictum eſt) Diuinorum operum ſimius etiam illam beneuolam Dei promiſſionem *Danielis* 12. factam. *Qui ad iuſtitiam erudierint multos, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates*, in ſuis tenebroſis conuentibus adumbrare quadantenus ſtudet; ſicut & illam ſanctorum Martyrum prærogatiuam, quâ membra quæ aliquid ſingulare pro Dei cauſa paſſi ſunt, eximio quodam præ alijs fulgore decorabuntur. Et hoc eſt, quod Tertullianus ait, Dæmonem tribuere ijs, quos *fideles* & amicos in alijs peruertendis ſcilicet expertus fuerit.

4. Quanquam & hæc fidelitas ad *quar-*

tam

tam horum ſtigmatum cauſam, nempe ad genus quoddam *Voluntariæ ſeruitutis* pertinere poſſit; ad quam ſeruiendam illi ter & amplius miſeri, ſeſe propria voluntate Dæmoni alligare non verentur. Itaque ſicut olim apud Tyrannos reperire erat, *ſeruos ſtigmatias, Threcijs compunctos notis*. Sicut & hodiè apud Turcas cum captiuis fieri aſſolet, vt raſo capite, notati, ac compedum catenis onuſti, ſi quà effugere conentur, ad priorem ſeruitutis ſtatum retrahantur. Et in numiſmatis auctoritate publica ac legitima cuſis, character imprimi ſolet, ex quo dignoſcatur cuiuſnã Regis, Principis, Reipubl. Ciuitatis, &c. ille nummus ſit. Quem characterem falſarij adulterare ſolent. *Herodotus in Melpomene, ſeu l.* 4. narrat Darium Perſarum Regem ex auro purgatiſſimo monetã percuſſiſſe, vt memoriam ſui poſteris relinqueret. Hoc inaudiens Argandes Ægypti Præfectus, ſimilem ſibi monetam cum ſua effigie ex Argento fecit. Ea re comperta, Darius tamen illum rebellionis inſimulatum morte affecit. Idem erga Dei

Crea-

Creaturas, eius imagine ac charactere insignitas, Sathan læsæ Maiestati, Diuinæ Reus vnà cum suis attentat.

5. Addit & quintam causam Tertullianus, vt scilicet hoc stigma sit quasi Sathanicæ militiæ Authoramentum nexusque, cum ait: *signat illic in frontibus ministros suos*. Quanquam enim & alijs etiam locis, hæc signa sua Dæmon imprimat; tamen sæpius id agit *in fronte ac manu*. Idque ex veteris militiæ consuetudine atq; exemplo, de quo *Flauius Vegetius lib.* 1. *c.* 8. Non statim punctis signorum inscribendus est Tyro delectus. *Et lib.* 2. *ca.* 5. Legio formatur. Nam victuris in cute punctis milites scripti & matriculis inserti iurare solent. Ad quem locum explicandum multa ex sacris prophanisque congerit *Godescalcus Stevvechius*, sicut & *Lipsius lib.* 1. *de Militia Romana, Dialogo* 9. Vt inter alia est illud *Aetij Medici* : *Stigmata vocant, quæ in facie, aut alia parte corporis inscribuntur, qualia sunt militum* (*in manibus.*) Quid autem ibi scriptum? *Lipsius* ait solidè nescio: suspicor tamen nomen Imperatoris. Diuus *Augustinus*

nus Epistol. 50. Sic error corrigendus est ouis, vt non corrumpatur in ea signaculum Redemptoris. Neque enim si quisquam regio charactere à signato desertore signetur, & accipiat indulgentiam: atque ille redeat ad militiam, ille autem esse in militia in qua nondum est, inquit, in aliquo eorum character ille resciatur, an non potius in ambobus agnoscitur, & honore debito, quoniam Regius est approbatur? Appellat enim *Regium characterem.* Nec dubium quin sentiat de isto. Certè & olim nomen Imperatoris in statuis, hastis, vexillis solebant inscribere, atque horum exemplo, apud delectum Tyronum, in cute. Adde magnum signum Crucis cum quatuor paruis impressum cuti illorum qui peregrinantur Hierosolymam versus & sepulchrum Domini nostri Iesu Christi visitant, militesque sepulchri Domini sancti vocantur. Horum insignium meminit *Francisc. Mennenius, in Delicijs Ordin. Equestr. pag. 45. & Innoc. 3. in cap. inter dilectos Extr. de donat.*

Qui in tractatu *pag. 52.* ait eodem, quod Equites S. Lazari olim soliti fuerint Crucem

cem

cem viridem pro Ordinis tessera præferre, nunc verò fidem cum militia S. Mauritij coniuncti Crucem viridem limbo candido conclusam, in cuius medio altera D. Mauritij superposita est, in vestibus gerunt. Alias S. Mauritij Equites etiamnum præferunt Crucem albam, florigeram Gallis dictam, & à sancto Martyre in bello Christianis pro tessera obtendi solitam. Sub Paulo tamen quinto impetratum, vt Lazarini Equites Galli in posterum Equites S. Mariæ de monte Carmelo, & S. Lazari nuncuparentur, & violacei coloris crucẽ Virginis matris effigie insignem, ex collo pendentem itemque chlamydi affixam, exemplo Melitensium præferrent. *Idem Mennen. d. loc. pag. 56.*

Sic Mõtmorenciaci primi Christicolæ & Franciæ Barones Ordinis equestris canis authores, illustre Ordinis sui collegiũ olim, cane, nobilissimo fidelitatis symbolo & gallo gallinaceo in signum victoriæ insigniuerunt, quemadmodum Sergius Galba Imperator tam sua, quam maiorum acta & insignia hoc symbolo

nota-

notauit. Et illuſtris Croyorum familia etiamnum. Similiter ſub Ferdinando Arragonio in Arragonia cœperunt Anno 1403. Equites Liliati, cui rei vaſculum lilijs candidis inſigne & Diuæ Virginis imagini adpictum præbuit auſpicium, teſte *P. Beloyo*. Octogenam crucem Melitenſis aut Rhodenſis tyro ex pura lintea tela cādidam accipiens monetur ſanguinisquem profundere libens debet, & à Chriſtianorum finibus hoſtem repellere; Milites itē & ſacerdotes Teutonici crucem nigram limbo argenteo inſignem chlamydi adſutam, & alteram ex collo pendentem præferre ſolent, *Munſter. lib. 3. de Germania*. Equitum in Liuonia collegium ab Innocentio 3. confirmatum enſis rubri ſignum cum cruce pallio inſuta præ ſe fert, &c. Quæ inſignia vti pro defenſione Chriſtianiſmi piè excogitata ſunt, Verum Momum & mimum Sathanam in ſuis nouiter initiatis militibus, ſine quamuis contrario, exprimere valde probabile eſt.

Sexta cauſa huius ſtigmatizationis poteſt

rest coniecturari illa, quod quemadmodum character spiritualis, vt suprà *Sect.* 2. latius deductum, inter cætera datur ad distinguendum, Christianos scilicet, ab Ethnicis Ità & hæc discernat è contrario transfugas à fide Christiana ad Synagogas Sathanicas: *arg.l.*1 §.8.*ff.de fugit. l.* 2. C.*de Seru.fugit.* Non secus, vti inter conditiones & *διατάγματα*, quæ specialiter ad vitam priuatam & publicam Iudæorum, item eorum actus & contractus iudiciales & extraiudiciales, vt & delicta & pœnas pertinent, eo fine, vt in Imperio Romano tolerari possint octauo requiritur, vt vtriusque sexus Iudæi, notâ vel signo quopiam certo à Christianis discernantur, ne quis cum eis ac Christianis imprudens versetur, *cap.*15.*in pr. Extr.de Iudais.ca. In audientia. De sentent. excommunic. Eberh. Speckhan.cent.*2.*Claß.*1.*quæst.*16. per habitum enim debent distingui nouitij à professis. *Viuian.in rat. iuris Pontific.* §.*statuimus.de Statu Monach.* Meretrix à matrona *cap.in audientia* 25. *De sentent. excommun.l.* 15.§.15.*ff.de iniur.* masculi à fœminis per

cri-

crines & vestes. *Ca. si qua mulier 6. Distinct. 30.* Liber à seruo per pileum. *l. 1. §. 5. C. De Latin. libert. toll.* Similiter & hodie S. Ecclesiæ Romanæ Cardinales rubrum gestant pileum, vt significaretur eos pro Ecclesiastica libertate vitam profundere, si necesse sit, paratos esse debere.

Septimò olim Romæ teste *Marco Aurelio Imperatore, apud Gueuar. in horolog. Princip. lib. 1. cap. 2. nu. 9.* Nemini in publicum prodire licebat, aut fas erat, nisi insigne secum portaret opificij vel artis, quam factitabat, & qua victum quæritabat, quod si quis contrà fecisse deprehensus esset; non solum puerorum per vias insequentium clamoribus, vt fatuus incessabatur, sed è vestigio à Censore condemnatus cum aliis ergastulis operi publico faciundo addicebatur : Ac ne fabulam tibi narrare videar, sic habeto; Imperatori prælatum fuisse cereum cubicularium ardentem, consuli securim bellicam, Sacerdotes verò galericulum forma reticuli crinalis, Senatores conchas in brachio, Censores ponduſculum, tribunos clauam,

uam, regulos sceptrum, Pontifices coronam plectilem, Oratores librum, gladiatores ensem, aurifices catillum gestasse: Idemque reliquos opifices fecisse, præter negotiatores exteros, quos omnes vna eademq; nota insignitos incedere oportebat: nulli enim peregrino Romæ eodem cum ciuium liberis habitu, & insigni vti licebat. Haud secus ex instituto Sathanæ sortiarios suæ professionis nefandæ insignia gestare stigmata valdè probabile est.

Octauò, Tres fraternitates Regias hodiè in vsu esse, histori|s & obseruantia viridi hodierna proditum est. Et quidem, vti olim Iasonis socij ad expeditionem classicam ad Colchos, Velleris aurei spe atque dignitate extimulati sunt: ita Philippus Burgundiæ Dux (qui cognominatus est Bonus) Anno 1429. viginti quatuor heroas, quorum præter cæteros nobilitata animi magnitudo, virtus & industria in fratres recepit. Causa huius institutionis fuit firmamentum Ecclesiæ, quod & inscriptio hæc indicat.

Tuta

Tuta à nobilibus quo Ecclesia firmior esset
Nobilis inuentus velleris ordo mihi est.

Ordo hic appellatur Tosoruus, & equestris Ordinis Senatus. Alter est S. Michaëlis in Gallia, institutus cum aureo torque à Ludouico vndecimo, Anno 1469. *Petr. Greg. Tholos. lib.* 15. *Syntag. ca.* 35.

Tertius aureæ Periscelidos in Anglia ordinatus ab Edoardo 3. Rege ex ridicula causa: inscriptionem hanc habet. (Honi soit, qui mal' y pense) similiter Diabolum, non iusta potestate, sed falsa opinione mortalium, & superba vsurpatione sua (vt in scripturis vocatur) *Principem huius mundi*, id est eorum, qui mundum sequuntur, *Ioan.* 14. fallacem aliquam sodalitatem prioribus partim pijs, partim iocosis æmulam inter Synagogę suæ participes stigmatum quorundam inustione mentiri credibile est.

Nonò, Contrahentes olim in signum consummati & celebrati contractus frãgebant stipulam, & posteà iterum iunctis partibus sponsiones suas agnouerunt, non secus, vti proci hodiè cum amasijs suis

ſuis partiuntur aurum fractum: Hinc *Iſidor. lib. 5. cap. 24. in fin.* ſtipulationem à ſtipula deriuatam autumat: Atqui pacto nefando inter Cacodæmonem & Striges inito nefandas inter eos intercedere cõmixtiones, & ſubſequi abominabilium harum notarum impreſſiones ex illarum vnanimi depoſitione receptum eſt: Ergo hanc infallibilem arrham ſceleſtæ illius conſuetudinis eſſe, cuiuis facilè ominari licet: Signa enim negotij ciuilis celebratum ſuum contractum arguunt. *l. 1. §. 3. & l. 2. ff. de Pact.* Animus ſiquidem ſemper ex ſignis & præcedenti tractatu colligitur. *l. 13. §. 5. ff. de iur.* Fiſci, *l. 4. ff. de doli mali & metus exceptione.*

Decimò, Impropria inueſtitura ritibus & ceremonijs, porrectione, ſcilicet baculi, enſis, haſtæ, vexilli, annuli, bireti, chyrothecæ, &c. adumbrata. 2. *Feud.* 2. *in pr.* ſecundum conſuetudines feudales ius ad rem conſtituit, 2. *Feud.* 7. *in fin.* vſq; adeò, quod eius vi Vaſallus propria authoritate rem in Feudum datam apprehendere poſſet, *arg.* 2. *Feud.* 33. idque conſtat

ex hisce ceremonijs, quibus Mauritius Elector Saxoniæ quondam inauguratus est, prout refert *Sleidan. in Comment. Ann.* 1548. hisce verbis.

Mauritio Cæsar honorem Septemuiratus, & Ioannis Friderici prouinciæ maximam partem attribuebat in castris prope Witebergam, sed hoc in conuentu publica & solenni cæremonia tanquam in possessionem illum mittit, & in suam Imperiique fidem accipit, quod tunc ei promiserat. Fuit hoc Februarij die 24. qui quidem dies est Cæsari natalis. Ea verò cæremonia sic habet. In foro tabernaculum erat extructum è materiâ, patulum, in quod per gradus ascendebatur. Eo Cæsar à meridie venit sub horam tertiam comitatus Electoribus. Post illinc in vicinam domum transit, & vestem solennem induit tum ipse, tum Electores. Inde rursus prodit, & in solio considet: idem illi faciunt suo quisq; loco. A tergo supra Cæsarem erant quodam in pegmate collocati tubicines. Ibi primùm agmē Mauritij procedit, & incitatis equis taberna-

bernaculum petit, vti fieri consueuit. Interim Mauritius cum altero agmine consistit è regione, comitatus turba procerũ, & proximè ante ipsum erant tubicines 12. Mox prodeunt ex illâ cateruâ Henricus Brunsuicensis, wolfgangus Electoris Palatini frater, Albertus Bauarus, & vbi cursu peruenissent ad illum locum, descendunt ex equis, & Cæsarem adeunt, ac obnixè rogant, vt Mauritio publicum Imperii beneficium, & insignia Principatus conferat. Cæsar cum Electoribus re communicata per Moguntinum respondet, Placere sibi, modo veniat ille ipse, & idem petat. Eo accepto responso Mauritius cum toto agmine procurrit. Præferebantur ei vexilla decem, cum totidem insignibus regionum, pro quib. inaugurationem petebat. Cum conscendisset in genua subsidet ante Cæsarem & idem rogat. Itaque Cæsar per Moguntinum respondet. Quoniam vterque sibi fidelem nauarint operam, velle se Mauritio, eiusq; liberis masculis, aut si nulli sint, Augusto Fratri, eiusq; liberis Electoratũ

Saxoniæ, & Ioannis Friderici poſſeſſiones omnes conferre, niſi quantum illius liberis iam antè ſit conceſſum. Moguntinus deinde iuſiurandum, quo Electores tenentur recitat, & vbi Mauritius illo præeunte verbis iuraſſet, Cæſar enſem ei tradit, & hac cæremonia velut in poſſeſſionem mittit. Ille gratias agit, & omnem fidem, obſequiumque pollicetur. *Hactenus Sleidanus.*

Non abſimili modo, Rex ille ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ, qui omne ſublime videt, *Iob* 41. Deus huius ſeculi excæcans corda ſæcularium 2. *Cor.* 4. Princeps harum tenebrarum, *Tit.* 2. ſuos clientulos præuiâ vaſallagij præſtatione ſibi deuinctos huius ſæculi auaros, ambitioſos & luxurioſos, ſortiarios *Omnia regna mundi*, (quæ tamen Domini Dei ſunt. *Pſalm.* 23.) eis *oſtendendo in momento*, (prout fecit in tentatione Saluatoris noſtri *Luc.* 4.) de bonis hiſce *momentaneis* abuſiuè, id eſt, fallaci & mendaci modo inueſtit, *Pater mendacij Ioan.* 8. Et in eius perpetuum τεκμήριον nefando prius modo ſeſe cum

eis commiſcens, indelebilem hanc notam inſuper eiſdem imprimit: non ſecus vti iuxtà ſententiam *S. Hieronymi in cap. 55. Iſaiæ verſ. 13.* ibi (& erit Dominus nominatus in ſignum æternum) dicuntur corpora Beatorum ſignanda eſſe in cœlis ſtigmate crucis, quod non delebit æternitas; perinde ac crucis & quinque vulnerum ſtigmata manebunt in æternum in ipſo corpore Chriſti, vt ſint perenne monimentum illius & hoſtiæ redemptionis; Sic enim in Martyrum corporibus manſura in cælo vulnerum ſigna fulgentia, quaſi trophæa, vt docent *S. Auguſt. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 20. S. Ambroſius Serm. 57.*

Septima Aetiologia.

Antichriſtus filius perditionis opera Diaboli ſuos aſſeclas ſuo tempore ſignabit certo quodam Characteriſmo, vt ſuprà *Sectione 7.* latè deductum eſt; Probabile igitur eſt ipſum Diabolum, cuius inſtinctu directorio & ope omnia hæc pro amplificatione regni ſui præſtituto tempore fient, futuræ illi ſtigmatizationi omninò præludere, & tali abominabili

modò sagas à Christianismo deficientes apostatas, tanquam prodromos & seminaria futuri Antichristianismi sibi deligere, initiare, & à cœtu Christianorum fidelium segregare, quo etiam expositio Theologorum saniorum ad d. *cap.* 13. *Apocalyps.* collimat.

Octaua Aitiologia.

Stigmata illa, & notæ inustæ, quæ in veneficis deprehenduntur, aut sunt naturalia; aut sunt supernaturalia; id est, præter communem naturæ ordinem à supra naturali aliqua causa iisdē impressa.

Non sunt naturalia, quia iuxtà Medicorum assertiones, vti superius in *Sectione* 9. attactum, quamuis in planta pedis, aut aliis locis extremis continua attritione vel callus insensilis, & exanguis simul, aut clauus generari possit, non tamen in media parte corporis carnosa sanguis, aut membranosa dolor punctatim auferri potest, vt circumferentia eius, vel totum membrum, puta brachium, mammilla, caput, sanguine vegetum & sensibile simul remaneat, quamuis gan-

græ-

grænam, impetiginem, aut cicatricem ponas: Sanguis enim est vehiculum vitæ, nec potest naturaliter particula membri mortua, & tota circumferentia simul vitalis existere, quatenus totus homo ablatis paulatim vitalibus & spiritalibus facultatibus in instanti moritur, & connaturalis passio est, vt corpus humanum graui accepto vulnere sanguinem fundat, sagax enim prouidaque natura, vt læsæ parti succurrat, eò spiritus, sanguinem, alimentaque transmittit, vbi acceptum fuerit detrimentum, *Alphons. Paleot. de Iesu Christi stigmatib. cap. 16. n.* 10. *&* 18. Quo refer assimilationem Menenij Agrippæ ad plebem Romanam post factam secessionem missi oratoris, qui comparatione ducta ab intestina membrorum cum ocioso ventre seditione, ad iram plebis in patres, hominum mentes leniuit, flexitque. Vniuersa quondam corporis humani membra referens aduersus ventrem, veluti ociosum, & nihil corporis impertientem, conspirasse: quorũ stoliditatẽ facilè venter irrisit, di-

cens non ſatis ab ijs animaduerti, quod cum ad reliquorum membrorum explēdos appetitus, vniuerſum ipſe ſuſcipiat nutrimentum, rurſus non ingratè cæteris à ſe diſtributum emittat, *Liu.lib.2.* Ex quo igitur cicatrix ſeu vulnus conſolidatum, à ſanguine humano nutrimentum, & à neruis ſuum ſenſum habet, non poteſt eſſe, quin ſenſum ſaltem obtuſum habeat, styloue in id impacto ſanguinem emittat. Fateor quidem in *gangræna* & *Sphacelo* partes præter naturã, vt Medici loquuntur, quoque conſtitutas eſſe, hoc eſt, à naturali ſtatu receſſiſſe, adeò vt gangræna ſit mortificatio partis, quæ inflammatione tentata eſt: vbi verò membra planè emortua ſunt, eam affectionem *Sphacelum* nominant, in hiſce affectibus quidem, veluti chyrurgica demonſtrat operatio, ſenſus & vita abeſt, proinde nec vllus excitatur dolor, nec ſanguinis profuſio timetur *Hieron, Fabric. ab Aquapend. de Gangr. & Sphacel.* Similiter in morbis capitis à materia frigida, vt in apoplexia, alijſque morbis ſoporiferis, ſicut & in hyſterica paſſio-

passione, siue ascensu vteri vehementi, quando affecti mortuis non absimiles iacent dolores vix vlli, vel obtusi saltem percipiuntur: Fateor itemque quod medicamenta narcotica siue obstupefacientia sensum planè sopiant calore partis extincto. Quippe Cardanus, Magneti non absimilem videri ait alium magnetem Candidum, cuius experimentum tale dictus vidit author. Attulerat Laurentius Guascus Cherascius Prouinciæ Taurinensis Medicus Empyricus, his diebus hunc lapidem, pollicebaturque posse, si vel stylum aut acum tangeret, carnem totam absque vllo dolore penetrare: quod cum nobis, vt par est, ridiculum videretur, *inquit dictus author*, rem experimento in meis contubernalibus confirmauit. Ego tandem, vt tam incredibilis rei periculum facerem, acum ipsam prius lapidi affricatam cuti adiutorij brachij intuli, sensique primo leuissimam punctionis imaginem: post, cum totum musculum quasi directa penetraret, acum quidem in profundum, qua penetrabat, penetra-
 re

se sentiebam, dolorem nullum penitus sensi: tumque familiaribus, quod in me fueram expertus, credidi. Quod ipsum Dioscorides & Albertus Magnus, *libr. de Secret. pagin.* 363. tradunt de Memphite lapide, qui tritus ac membris, quæ vrenda, secanda, torquenda sunt adfricatus, vel cum aceto adlinitus facit membra obstupescere, vt nullum sentiant cruciatum, imò & totum corpus in stuporem resoluit, vt refert *Paris de Puteo, in tract. de Syndic. cap. de tortor. leg. 2. Grilland. de tortur. cap. 4. Scalig. Exerc. 331. Sect. 3.*

Verum enimuero gangræna & Sphacelus adimunt vsum membri illius vbi reperiuntur, rarò sunt sine fœtore & putredine, in tam exigua quantitate nunquam reperiuntur, nec carne viua & sana circumdantur, neq; in illis induratam pellem experimur, quæ in stigmatibus sagarum omnia contrario modo sese habent. Deinde in hisce notis Strigibus inustis non vna certa ab vno, sed quæcunque acicula à quocunque impacta nullum

lum dolorem conciliat, nec sanguinem elicit: Neque etiam sagæ quando punguntur ita aciculis capitis morbo frigido, vel vteri ascensu, vti ipsis inquisitoribus facilè ex aspectu innotescere potest, laborant, neque probabile, quod eædem ipsę vel alius medicamenta narcotica ipsis in locis notatis adhibuerit, probabilius igitur est, quod hæc stigmata potius à causa aliqua supranaturali originem habeant, idque vel exinde patet, quod illud, quod magis excedit finem & facultatem nostræ naturalis virtutis atque potentiæ, magis sit etiam in se supernaturale, maioremq; deposcat absolutè virtutem: Cum enim possibile respondeat potentiæ, vt illius obiectum, & ex hoc eidem proportionetur: secundùm excessum rerum possibilium in essendo, erit & potentiarum proportionatarum excessus in virtute: *Spin. de strigib. cap.* 12. Minus autem ab homine tam ratione intentionis, quam potentiæ factibilis, quod caro quædam exanguis & insensilis pelle indurata circũdata carne viua in media parte vegeti

corporis efficiatur. Concludendum est igitur, hominem naturali virtute, hoc nequaquam facere posse, sed talem stigmatizationem à supranaturali quadam causa originem trahere.

Sin autem hoc posterius statuendum, ea causa supranaturalis esset vel diuina, vel Diabolica, non est diuina, illa enim inustio stigmatis vel ob sanctitatem, vel securitatem fieret, eaque à Domino Deo, vel instituta, vel alicubi obseruata fuisset, sed neutrum ex his posterioribus assumi potest, quia talia insolita in personis eiusmodi præuia denuntiatione, & fama malè anteactæ vitæ incarceratis ideò non præsumuntur, tum, quia ex insolitis fraudis suspicio insurgit. *cap. si quando, Extr. de Rescript. cap. Quod super. Extr. de Fid. instrument. Menoch. lib. 3. præsumpt.* 122. *in fin.* tum, Quia sanctitas personarum non tam temere præsumitur, quatenus non omnis motiens putandus. S. Ioannes Baptista, inquit *Bald. in tit. De pac. constantia. Menoch.* 5. *præsumpt.* 5. *in fin.* Sed probari debet, iuxtà *Masc. de Probat. vol.* 1. *Concl.* 262. *per tot.*

Nec

Nec talis stigmatizatio electorum materialis apparens alicubi vel instituta, vel obseruata fuit à Domino Deo, nisi probetur, concluditur proinde prædicta stigmata à Diabolo impressa esse.

Quæ autem tanti stuporis causa proxima esse queat, non admodum anxie erit ei quærendum, qui ipse secum reputauerit, quemadmodum nihil inquam homini à Dæmone nisi mortiferum, atque exitiale accidere possit, inquit *Remigius lib. 1. Dæmonolatr. sag. c. 5. circ. fin.* Nam equidē longe à verò aberrare mihi videntur, qui sic à naturalibus causis eius rei rationem arcessunt, corpora quæ sibi Dæmones excitant plus quàm glaciali rigere frigore. Vulgo autem ea orbari sensu, atque obstupescere, quibus extreme frigida admouentur, vel circumfunduntur: vti hyeme summa torpere, languereque magis solemus: & ætate iam affecta, quæ mortis veluti rudimentum quoddam est (sunt autem mortui adeò insigniter frigidi, inquit *Plutarchus*, vt aciem nouaculæ si quis tentet admouere propter incomparabi-

lem rigorem obtundat) sensus omnes sint tardiores atque hebetiores. Et in ipsis quoque animantium corporibus, quæ partes minimũ caloris habent, sensu minus pollent: qualia sunt pili, ossa, dentes, aliaque id genus quæ (vt inquit, apud *Macrobium* Disarius) effectui animæ sensum ministrantis sunt penetrabilia. Nam talis vtique censeri nequit, qui membris animalium vna cum vulnere stupor à Dæmonibus infigitur. Primum, quod si quis manum admoueat, nihil ipse tactu distinguat, aut vlla qualitate immutatum reperiat. Deinde quod causis, quæ in se efficientiam naturalem cohibent, sublatis, maximeque si quæ extrinsecus accedunt, effectus quoque cessare oporteat. At sic est is, de quo loquimur, Dæmonum contactus, vt inducta ab eo sensus alienatio semper duret: quoque longius à sua causa abest, eo magis conualescat. Tum sagarum manus ad eandem perniciem à Dæmonibus instructæ, sæpè repentes sunt, & eiusmodi rigoris expertes: apprehensa tamen intermediis etiam

vesti-

vestibus membra, perpetuo hoc torpore debilitant, vti experientia ipsa non semel comprobauit. Denique, defloratæ, ac delibatæ tantum cutis vitium (vt Chirurgorum verbis vtar) in sola cute, nisi quid aliud est, consistit, nec altius progreditur. leuissima autem eiusmodi laceratione, quicquid subest, vel quantum longissima acicula penetrare potest, sensu orbatur, atque exhauritur.

Omnino igitur causam aliunde esse oportet, quam ab eiusmodi frigore: quantumuis duro, atque acerbo. Cuius generis etiam illud esse puto, quod Meteorologi, percussa, afflataue fulmine animalium membra perpetuum exanguia, ac torpida fieri produnt. Nam fulminis cõtra ignea natura est, multorumque id sæpè incendiorum causa extitit. quemadmodum pluribus ostendit *Seneca lib. II. c. 21. in quæstionibus naturalibus*. Hoc igitur quod iam nobis dictum est, identidem inculcare conuenit, in Sathana nocendi, perdendique vim occultam esse, ac nullis naturæ legibus adstrictam: otioseque

illos

illos agere, qui quæ is facit, ad certam aliquam naturæ rationem exquirunt: quasi non illi sit potius perpetuum cum natura dissidium, atque contentio. Et id quidem ab hoc vno exemplo (quod superioribus quasi corollarium accedet) fidem vel locupletissimam sibi vẽdicare potest, quod nunc nuper in Samardano nostro Rustico, à mulieris, quæ tum fortè sortilegij comperta fuerat, marito inaudiui. Pridem se eam de malâ aliquâ arte suspectã habuisse, vel inde maximè, quod singulis, quę veneris diem proximè ante cessissent, noctibus, cum accubaret, glaciei instar rigentem semper sensisset. Id enim tempus ferè est in Lotharingia (vti à nobis paulo ante dictum est) quo sagæ dimisso conuentu à Magistellis suis digredi solent: Nam & eiusmodi rigorem ex illorum recenti contactu eas contrahere, ac aliquantisper retinere posse, non est vtique dictu incredibile, atque absurdum. Qua autem ratione alia, quam quæ modo dicta est, haud facile est coniectari. Hactenus *Remigius*.

CAP.

CAP. XXXIII.

Ex prædictis omnibus sequens generalis Apodictica conclusio.

RES dicitur eius esse, cuius signo est signata. *l. Quod si neque* 14. §. 1. *ff. de peric. & commod. rei vendit. cap. Si iudex. de Sent. Excom. in* 6. facit *text. in cap. Quod quidam.* 1. *quæst.* 1. *& cap. quemadmodum.* 23. *quæst.* 7. *ca. posteà signatur* 23. *quæstion.* 2. *cap. sanè profertur, & cap. Magna. Extra de voto.* tam quoad dominium, quam quoad possessionem. *l.* 3. *C. de bon. vacant. l. Monumentorum.* 6. *C. de Relig. & sumpt. fun. vbi Dd.* Quod publicè incisa in æs vel marmor, vel in lapides probent. *l.* 10. *ff. de Probat. l.* 27. *ff. de condit. & demonstr. l.* 11. *ff. fin. Reg.* inscripta verò monumentis iura sepulchrorum non tribuant quidem viuente illo, qui inscribi iussit, sed tamen illo præmoriente. *Forcat. Dialog. Necyomant. num.* 34. Adde moris olim fuisse, vt res quisque suas etiam minutissimas annulo signaret. Idque testatus est expresse *Plin. Nat. histor. lib.* 33. *ca.* 1. his verbis. Quæ fuit illa priscorum vita, qua-

qualis innocentia, in qua nihil ſignabatur? At nunc cibi quoque & potus vindicantur annulo à rapinis. Eoque non dubium eſt, quin *Valerius* reſpexerit *libr.* 7.*cap*.9. *de M. Popilio* ita ſcribens: vnum etiam de multis, qui aſſidebant, vltimo complexu & oſculo dignum iudicauit, ſemperque annulos quoque ſuos ei tradidit, videlicet ne quid ex ea hæreditate, quam non erat aditurus amitteret. Quibus etiam non incommodè addi poteſt, quod de clauibus & annulis maiori natu filiæ traditis ſcribit *Papinianus* in *l*.77.§.21.*ff.de legat*.2. *Iacob. Rauard. libro* 5.*var.cap*.16. Item in obſignandis tabulis & inſtrumentis vtebantur eo, vt oſtendit *Plaut.in Curcul. Act*.2.*ſcen. vlt*. vnde plus annulis, quam animis hominum credi queritur, *Senec.lib*.3.*de benefic.ca*.15. & obſignari tabulas conſueuiſſe *Paul*.5.*ſent*.25. tradit. Teſtamentum quoque inſuper annulo ſignari moris fuiſſe ſatis conſtat ex *l*.22.§.5.*ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* Inuenio *Auguſtum*, cum morbo grauiſſimo conflictaretur, deplorata ſalute annulum *Agrip-*

pa

pe tradidisse. *Dio lib.* 53. refert: Et *Tiberium* deficientem exemptum digito annulum, quasi alicui traditurum, parumper tenuisse. *Sueton. in eius vita* 73. testatur. Atque hunc annulum vt plurimum secum circumferebant. *Macrob.* 7. *Saturn.* 13. quem & vnicum saltem habere licuisse maioris certitudinis causa ex eodem cognoscitur. Supervacaneum esset monere literas eo obfirmatas vt plurimum fuisse. Nam & illud adhuc ætas nostra obseruat. Quo pertinet *Tullij Q. Ciceron.* fratri rationem regendæ prouinciæ præscribẽtis sententia. Sit annulus tuus, *inquit*, non vt vas aliquod, sed tanquam ipse *Tu*: Non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ. Sunt & aliæ signaturæ scilicet imaginis, vnde non tantum ait S. Propheta Dauid, *Psalm.* 4. *versic.* 7. *Signatum est super nos lumen vultus Dei; Sed etiam* Saluator noster *Luc.* 20. ait, *Ostendite mihi denarium, cuius imaginem habet, & subscriptionem? Et respondentes dixerunt, Cæsari: dixit illis: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Facit textus *in cap. Displicet.* 23. *quæst.* 4. *ibi.*
Et

Et vos omnes Christi estis characterem Dominicum portantes Et *Genes.4. Posuit Dominus signum in Cain.* Sic signum animalis demõstrat Dominum, Et eo ipso, quo equus, bos vel ouis, vel alia res reperitur cum signo meo, quo vtor, signata probatur mea, *arg. text. in l. Stigmata. C. de Fabricens. l. pen. C. de Aqua ductu. lib. 11. l. 3. C. de frum. Alexand. lib.* 11. & ita tenent *Bart. Lucas de Penna, & Platea in d. l. Stigmata.* Et faciunt stigmata recognosci personas viuas vel mortuas, Alexand. in *l. cum diuersis ff. de relig.* & *sumpt fun.* Vti enim nomina inuenta, vt res ipsas significent. *l.* 7. *in fin. ff. de supell. leg.* §. 3. *Inst. de Donat. l.* 10. *C. de Ingen. & manumiss.* Ita dicimus Stigmata militem, habitum Clericum, stolam sacerdotem, quæ propriè eorum signa sunt, significare. *Bald. in l. Directis. C. de testam. manum. l.* 15. §. 15. *ff. de Iniur. l.* 100. *ff. de verb. Signif. Menoch. lib. 3. Præsumpt. cap.* 64. Licet *Bald. in Auth. Dos data. C. de Donat. ante nupt.* dicat quod solum faciat præsumptionem, quia alias de facili posset fraus committi, illumque sequitur *Chassan. in Catalog. glor. mund.*

mund.1.part.consid.35. ponens exemplum in ballis mercatorum. Consentiunt hisce *Beneuenut.Strach.tract.de mercat.part.2. nu.78. Anton.Gomes.in l.45.Tauri.num.77.Menoch.lib.2.de arbitrar.cas.318.nu. 23. Hieronym.de Cauall.in pract. quæst.745.Osasc.decis.40.nu.2.*latè *Rota Genuensis Decis.201.Paul. Christin.decis. Belgic. vol. 2. decis.111.num.2. Matt.Berlich .conclus.36.nu.93. Mascard.vol. 2.conclus.1051.* Qui ait, *num.1.* Mercum præsumptionem inducere pro illo, cuius merco res sunt notatæ, signum enim ostendit signatum,& mercatores ferè hac de causa merca & signa habent, quibus merces signantur,dicit.*Bald.in l.1.nu.1. C. Quæ res vendi poss.* hinc sarcinæ, siue ballæ vt loquuntur eorum esse præsumuntur quorum merco sunt impressæ;Idem facit signum in venditis arboribus. *Boer. decis. 105.num.9.* & insignia ac vexilla faciunt præsumi nauim illius esse, cuius insigne. *Iason Cons.170.col.4.vol.2.* Ex signo etiam quo mercatores vtuntur, depræhenditur,quod sit inducta communio & societas,vt si sit appositum super rebus de quibus

bus agitur. *Hector. Felic. de commun. & Soc. cap. 11. num. 14. Strach. in tr. de Mercat. part. 2. num. 11.*

Atqui, vti ex prothocollis Inquisitorum præsupponitur, in denunciatis & incarceratis vt plurimum personis, hodierno tempore & quidem in variis partibus corporis, præuia, prout par est, solerti & curiosa indagine ac probatione numerosa quandoque deprehenduntur stigmata inusta, & quidem quæ, vt superius demonstratum latius, nec naturalia, dico non naturalia, quippe quæ præsumptionem hanc non indicant, quod res sit in dominio alicuius (quia dato, quod nunquam auis fuisset in dominio alicuius, nihilominus tamen si inessent ei signa naturalia, scilicet pes varicosus, aut in postrema eius parte nullum vnguem haberet, sed tantum globum carnis, hæc vtpote ab occupante non facta non probant hoc esse, quod ab hoc contingit abesse *l. non hoc* 4. *C. vnde legitimi. Chassan. in consuetud. Burgund. rubr.* 13. §. 1. *num.* 8.) Sed accidentalia violenter imposita, nec tamen

men supra naturalia diuina, sed Diabolica sunt.

Vnde meritò vel saltem ex præsumptionibus & indiciis apertissimis ac permanentibus illis (quæ in hoc crimine occultissimo nocturno & atrocissimo non minus, vti in crimine læsæ maiestatis humanæ *iuxta Fabr. in l.* 5. C. *Ad l. Iul. maiest.* Vel adulterio *l.* 34. C. *Ad. l. Iul. de adult. Bodin. l.* 4, *Dæmonomaniæ. cap.* 4. sufficiunt) si non ad mortem, saltem ad torturam tanquam mancipia viua Diaboli his notis inusti condemnandi sunt. Qualem enim te inuenero, talem te iudicabo. *l.* 15. §. 15. *ff. iniur.* & talis quisque esse præsumitur, qualis est habitus, quem gestat. *cap. iudex, Laicus. De sentent. Excommun. in* 6. *Nicolaus Euerhard. loc.* 11. *à verosimili. num.* 7. vnde & *Lucanus lib.* 6. *vers.* 510. sagarum habitum latius expressit, his verbis.

Illi namque nefas vrbis summittere tecto,
Aut laribus ferale caput, desertaque busta
Incolit, & tumulos expulsis incolit vmbris.
Grata Deis Erebi, cœtus audire silentum,
Nosse domos Stigias, arcanaq; Ditis operti.

Non

Non superi, non vita vetat, Tenet ora prophana
Fœda situ macies, cœloque ignota sereno
Terribilis stygio facies pallore grauatur,
Impexis ornata comis.

Quintilian. declamat. 15. ait Magi ante omnia minax vultus, feralis habitus, horreant squalore crines, rigeat super nefandas cogitationes effera tristitia. confer. *Iul. Cæsar. Buleng. lib. 2. aduers. Mag. c. 68.* vti igitur per sua signa proconsularia, fasces scilicet & securim cognoscitur Proconsul. *l. 1. ff. de offic. Procons.* ArchiEpiscopus per pallium *cap. Ad honorem. 4. Extr. de Author. & vs. pall.* ciuis Romanus per togam. *l. 32. ff. de iur. Fisci.* Iudæus per circumcisionem, *cap. ab exordio 2. Dist.* 35. Clericus per tonsuram. *cap. Ex literis. Extr. de transact.* Mulieres per annulos, *cap. Nostrates, 3. caus.* 30. *quæst. 5. cap. illud.* 11. *Extr. de Præsumpt.* Per eosdem ferreos, olim serui, argenteos libertini, aureos, ingenui *l. 4. ff. de Iur. aur. annul. Isid. lib.* 19. *Etym. cap.* 32. Et habitus distinguit nouitum à professo. *cap. pen. extra de Regular. & trans.* Ancillam à libera, mere-

meretricem à matrona *l. 15. §. 15. ff. de In-iur.* Ita & per stigmata, ac alium habitum vultus & oculorum Striges: Idque tum ratione significandæ professionis suæ; quemadmodum frontones animosos, & resolutos sui cultus professores diligit & signat Deus *Apocal. 7, Psal. 4. vers. 7. Ephes. 1. v. 15. & c. 4. v. 30. Iohan. 6. 27. 2. Corin. 1. v. 21* Cruces & rosaria publicè deferunt & gestant Heluetij Catholici, vt inter medios Hæreticos profiteantur suam fidem, seque esse Orthodoxos Christi, & Virginis Deiparę cultores: Sic & Episcopi crucem auream vel argenteam ✠ ipse verò summus Pontifex adamantinam etiam dum celebrat, gestat in pectore, Cardinales verò regulariter rubrum pileum: Hi enim quasi duces fidelium in bello sacro ad tuendam Christi crucem debent esse fortes vt adamantes, & veluti Nabothi vineam suam defendere, & pro Ecclesiastica libertate, si necesse sit vitam profundere. *3. Reg. cap. 21. & caus. 23. quæst. 8. cap. 21. Gloss. in ca. 3. de Immunit. Eccl. in 6. verb. Aeternam.* Similiter etiam vt in die Cinerum

omnes Christiani in Ecclesia signantur in fronte cruce cinerea, quin & omnes dum surgunt, dum orant, dum prandent, dum incumbunt, & alias sæpè per diem, signant se cruce in fronte, qui vetus mos est, inquit, *Tertull. de Corona militis. cap.* 3. Imò primis Ecclesiæ temporibus moris erat Christianis signum crucis, aut nomen Iesu candentibus notis carni inurere, vti testatur *Procop. in cap.* 44. *Isaia*, Ad hoc signum professionis suos hortabatur Quirites *Cic.* 1. *Orat. in Catil.* quando ait, Sit inscriptum in fronte vniuscuiusque ciuis, quid de Republica sentiat: Tum etiam per hoc adumbratæ initæ inter se confœderationis ergò: Illius placet duo similia exempla hic adscribere. Anno 1566. 5. Aprilis multi ex fœderatis nobilibus Belgicis Bruxellas venerunt & illustrissimæ Gubernatrici libellum supplicem porrexerunt, quo inter cætera volebant edictorum ad Inquisitionem pertinentium executionem tãtisper prorogari, donec ad regem Philippum quispiam mitteretur. Gubernatrici tum fortè

tè aderat magni nominis eques aurei velleris, qui dixisse fertur ad illam: Non est, quod formides. *Geux*, id est, mendici sunt isti, & nihili homines. Inde illi arrepta occasione, se *Geux* vel *Geuseos* nuncuparunt, & paulo post quidam ex primariis dicti fœderis nobilibus in publico conuiuio iam apud omnes pervulgatissimum illud *viue les Geux*, viuant Geusei, Bruxellis proclamasse fertur, simul è VASCVLO LIGNEO, quali vtuntur mendici, hausto vino. Porrò etiam vestes sibi sumpserunt coloris Cinericiei, & ad latus appenderunt VASCVLA LIGNEA, quorum laminis argenteis hæc inscripserunt. 5. Aprilis Anno 1566. *viue les Geux. F. Laurentius Surius Carthus. rer. in orb. gestar. in dict. Anno pag. mihi*, 681.

Cuius fere simile exemplum legitur in vita Othonis I. Imperatoris Romani. Cum enim is regnum suum *Anno Christi* 938. auspicatus esset, & Galli comminarentur ducere in Germaniam tantum exercitum, quantus visus anteà non fuisset: Imò cum *Hugo Capetus* Comes Parisiensis

Saxones per contumeliam stramineos & effœminatos nominasset. Ad hæc respondisse Othonem ferunt, inanes eas comminationes parum decere sapientes Principes, cum constet victoriam & euentum belli in manu Dei esse. Respondit & hoc quoque, ducturum se in Galliam tot pileos stramine contextos, quot nunquam antea vidissent. Et ea de caussa ad ludibrium contumeliæ exercitum suum instruxit, vt milites gererent (Pileos Stramineos, cum colis & fusis subtiliter tornatis) eumque exercitum vsque ad Lutetiam Parisiorum perduxit, in eaque dictam Hugonem cepit, & liberatum regem Ludouicum affinem suum in Galliæ regnum restituit. *Carion. lib. 3. Chron. c. 4. Monarch. 3. ætat. in vita Othonis I.*

(∴)

MAGIA

MAGIA NATVRALIS.

siue

DE MIRANDIS QVIBVSDAM NATVRALI MAGIA FACTIS operationibus.

CAP. I.

Vt nocte videre possis.



SI vis videre rem submersam, & profundam in nocte, & non occultetur tibi plusquam in die, & legas libros de nocte nigra. Vnge faciem cum sanguine vespertilionis, & erit, quod dico. Alb. Mag. *de mirab. mund.*

Suffumigatio ad videndum in somno, quod futurum est de bono & malo.

Accipe sanguinem asini congelatum, & lupi ceruini pinguedinem, & storacem aggrega totam, pond. 4. æqu. & confician-

ciantur & fiant grana, & suffumigetur cum eis domus. Tu enim in somno tuo, qui narrabit tibi omnia. Alb. Mag. *d. l.*

Vt abstemius quis reddatur.

Spuma quæ inuenitur circa testiculos cerui, vel equi, vel asini fatigati, admisceatur cum vino, & illud vinum detur in potione, abhorrebit vinum per mensem. Alb. Magn. *d. l.*

Vt homines videantur sine capitibus.

Accipe spolium serpentis, & auripigmentum, & picem nigram, reuponticum, & ceram nouarum apum, & sanguinem asini, & tere omnia, & mitte in rudi olla, plena de aqua, & facias bullire ad lentum ignem, & postea demitte frigescere, & facias cereum, & omnis, qui illuminabitur eo, videbitur sine capite.

Vt homines videantur quorum libet animalium capita habere.

Accipe sulphur viuum, & lythargyrium, & istis simul puluerisatis, sparge in lampade oleo plena, habeantque candelam de cera virginea, quæ si permixta

cum

cum fecè illius animalis, cuius caput vis, vt videatur habere tenens candelam accensam de lampadis igne, & da bibere vinum cum valdimonia, & illi qui inde potabunt, videbunt se habere caput animalis.

Vt homines videantur habere vultum canis.

Accipe adipem de crure canis, vnge ex eo parum de bombycino, pone in lampade noua de viridi vitro, & pone lucernam inter homines, & cernunt vultum canis.

Si vis vt caput hominis caput asini videatur.

Tolle de tegmine aselli, & vnge homines capite.

Vt homines videantur habere tria capita.

Accipe de pilis asini mortui, & fac funiculum, & sicca, & sume medullam, de osse principalis dextri humeri, & misce cum virga virginea,& line funiculum, & pone super liminaria domus. Ingredientes domum tria capita habebunt,

hi, qui in domo sunt, intrantibus asini videbuntur.

Vt equina, vel asinina videantur astantium capita.

Equo abscinde caput, vel asino non mortuo, ne languida sit virtus, eiusque capacitatis fictilem fabricato ollam; olea plenam, suique pinguedine, vt superemineat os operculato, tenacique munias luto ignem subdelentum, vt plane bulliens tribus seruetur oleum, elixataque caro in oleum currat, vt nuda spectentur ossa, pila tundito, puluisque oleo permisceatur, quibus astantium capita perungantur: Similiter in lampadibus stupei funiculi in medio statuantur, nec prope, nec longe, vt res postulat, & monstruoso spectaberis vultu.

Aqua faciem denigrans.

Iuglandis calloso herbidoque putamine illo, quod guliocam dicunt, & gallis, chimistarum organis clarissima eliciatur aqua, qua si facies, vel manus maduerint, nigrescunt paulatim, vt Æthiopes videantur.

Quod

Quod si abijcere, & pristinæ albedini restituere velis, acetum, lemonis succum & colophoniam extillabis, talisque lotura nigrum illud abijcit, & propulsat.

Vt surdus audiat lyræ sonum.

Vis vel manibus aures obducere, ne sonum audias, tunc capulum lyræ, vel cytharæ mordicus prehendito, pulset eam alter, & concinnum in cerebro dabit sonum, & fortasse suauiorem. Nec solum capulum dentibus captans, sed longissimam hastam, quæ lyram tangat, & per eam clarè auditus sonus, dicique poterit non auditus sensu, sed gustu percipere. Port. *mag. nat. lib.* 2. *c.* 25.

De serpente.

Serpens quidem, si semel calamo percutiatur, moritur, sin vero iterum percutiatur, confirmatur. Brumali tempore infirmior efficitur, & à soricibus vincitur. Igitur ante hyemem circa se colligit segetes, vt illæ sibi escam præbeant.

Anguis in aquis degens, quando senuerit, perdit aspectum, & si voluerit redire ad iuuentutem, ieiunat. 40. diebus, vt

laxetur pellis eius. Et si angustum foramen inquirit, vt dum nititur exire, inde pellem senectutis dimittat.

Ad Congregandum serpentes.

Accipe serpentem in aliquo vase, multis foraminibus perforato inclusum, & accende ignem de stipulis in circuitu, statim serpens sibilabit, ad cuius clamorem omnes accurrent.

Quod si vnxeris vnum serpentem, vel vermem, de massa illius vermis detur alicui comedere, intelliget cantus auium. Alb. Magn *de virt. mund.*

Vt humana videantur animalium capita.

Ex humano capite recenter obtruncato, electum oleum, animalibus faciem hominis inducit, sic variis animalium capitibus, monstrosiora reddes corpora, si iis accensis liciis illustretur domus, quod fido claudi pectori, nam vti arcana ab antiquis celebrantur, nec ita faciliter ex eorum eruitur dictis. Aliter tamen docet Anaxilaus, nec irrite: Equorum virus à coitu accipitur, nouisque lampadibus ellychniis accensum hominum capita, equiua

quina visui monstrificè repræsentat: De asinis sic quoque proditur. Sic illud quod apriam vocant in suibus cum subant. Acceptum enim & accensum idem præstat. Sic animalium liquorum auricularibus accensis sordibus. Si illud perures, quod dicemus sperma, eoque spectatorum facies perunxeris, eorundem animalium conspicies capita, serua.

Vt adstantes sine capitibus videantur.

Auripigmentum subtilissimè tritum noua olla ex oleo sinas ebullire, nec ab re fuerit si sulphur immisceas, operculo ollæ imposito, ne croceus euolet vapor, id noua incendas lucerna, & adstantes sine capitibus & manibus videbuntur, oculos digitis comprimendo, dum candela accenditur, idque paulisper videbis vt fieri potuerit.

Vt omnes videantur in forma elephantum & equorum magnorum, qui in domo sunt.

Accipe speciem quæ dicitur Alchachengi, & contere, & confice ipsam cum aliquantulo pinguedinis delphini, & fac ex eo grana sicut citri. Deinde suffumiga

ex eis super ignem stercoris vaccæ, quæ mulgetur, & non sit in domo locus ex quo egreditur fumus nisi porta, & sit larga sub terra deintus. Nam omnes qui sunt in mansione videbuntur, quasi ipsi sunt homines magni in formis equorum, elephantum.

Vt homines videantur in quacunque forma volueris.

Accipe oculos bubonis, oculos piscis qui dicitur libinitis, & oculos piscis qui dicitur affares, & fel luporum. Contrita ergo ea manibus commiscendo: Et pone ea in vase vitreo. Cum ergo vis operari eum, accipe adipem cuiuscunque vis bestiæ, quod fiat hoc in forma eius, liquefac eam, & permisce cum illa medicina & inunge cum eo licinium quodcunque vis, deinde accende ipsum in medio ædis: Videbuntur enim homines in forma illius bestiæ, cuius pinguedinem accepisti.

Vt homines appareant in forma Angelorum.

Accipe oculos piscis, & oculos filoe id est frangentis ossa, & contraria eos manibus macerãdo; & pone eos in vase vitreo septem

septem diebus, deinde pone in eis aliquid de oleo, & illumina cum eo in lampade viridi, & pone ipsum coram hominibus qui sunt in æde: Ipsi enim videbunt se in forma angelorum ex igne accenso.

Vt homines appareant in forma fœda, & terreantur invicem homines, & faciunt ipsum fingentes dæmonem.

Accipe pilos ex cauda canis nigri, in quo non sit albedo, & aliquid ex pinguedine eius, liquefac pinguedinem. Deinde accipe pannum esequiarum, & fac deinde licinium: Deinde line ipsum cum eo quod fecisti, & illumina ipsum in lampade viridi cum oleo sambucino, & accende ipsum in domo, & non sit ibi licinium præter ipsum, & videbis mirabile.

Vt homines videantur se invicem sicut imagines & lapides.

Accipe zimat & tere bene, & accipe pannum funeris, & madefac ipsum cum pinguedine piscis, aut cum oleo sesamino puro, pone ipsum in lampade viridi, & pone super ipsum ex illo medicamine contrito rem paruam, & fit mirabile.

Vt homines videant se inuicem omnes infirmos ex vehementia infirmitatis & extenuationis.

Si acceperis pilos asturis, fiet inde licinium, & quando accenditur, erit quod dico.

Vt homines appareant nigrarum facierum.

Accipe lampadem nigram & funde super ipsam oleum sambucinum, vel argentum viuum, & funde in illo oleo, vel argento viuo, ex sanguine phlebotomantium, & pone in illo sanguine sambucinum, vel argentum viuum. Vel pone in oleo antimonium puluerisatum, & accendas.

Vt fœmina concipiat.

Accipiat aliquis hepar parui porci, & testiculos, & desiccet, & etiam redigat in puluerem, & det in potum masculo & mulieri: & masculus, si prius impotens fuerit ad generandum, generabit, & mulier, quæ non potuit concipere, tunc concipiet.

Aliud.

Mulier accipiat camphoram herbam pul-

puluerisatam, & bibat eam cum vino, & concipiet.

Aliud.

Accipiat vuluam leporis, & pulnerifet cum melle liquido, & accipiat cor tauri, & illa pariter accipiant ebullitionem, & sic mulier accipiat in vna septimana, ita quod vno tempore accipiat, & concipiet.

Aliud.

Mulier debet vti calidis, & bonis cibariis, & debet quodammodo inebriari, & bene fricari, & debet cauere, ne crura eleuata semen impediant, ita quod debet se cito labori applicare ad retinendum, & statim postea dormiat, & sine dubio concipiet.

Aliud.

Si mulier non potest concipere, accipe cornu ceruinum, & misceatur cum felle vaccino, teneat mulier super se, coeat, & statim concipiet. Alb. Magn.

Vt fœmina masculum concipiat.

Mulier in actu matrimoniali erigat dextrum crux, vt sperma viri in dextram par-

partem cadat, & vir etiam illuc dirigat.

Suadet etiam Hippocr. ante congressum, sinistrum testiculum ligari, vt totum semen ad dextrum confluat. Partes enim dextræ sinistris robustiores sunt, & dextra spermatica directo è vena caua fugit materiam seminis sinistra ab emulgente, Suadendum etiam, cum mulier habere se in vtero existimat, vt in dextrum latus corpus reclinet, atque si potest, ita dormiat. Riolan. *in par. meth. bene med. fol.* 11.

Vt mulier cum aliquo adulterare non possit.

Incide de capillis eius, & puluerem illorum tibi (alii ibi) super feretrum sparge, ante tamen vnge feretrum cum melle. & mox coeas cum muliere, & cum volueris soluere, ex tuis capillis fac similiter.

Si vis vt mulier non corrumpatur, nec quærat viros.

Accipe priapum lupi, & pilos palpebrarum eius, & pilos, qui sunt sub barba eius, & combure illud totum, & da ei in potu,

potu, ipsa nesciente nullum alium volet.

Aliud.

Mulier accipiat acum, inficiatque fimo, deinde inuoluat luto, in quo cadauer humanum defossum fuerit, & secum portet in puniculo, qui fuit in funere, non poterit vir quisquam cum ea coire, quamdiu secum habuerit. Agripp. *de occult. philos. lib* 1. c. 46.

Vt à partu fiat virginalis adstrictio.

Ad mentiendum virginitatem balnea aluminosa & astringentia opitulantur. Item pessi ex succo semi. rumitis acidi & virentis. Vel ex gallis in aqua maceratis, in siccatis & lana exceptis.

Semen oxylipapathi tritum in vteri sinu imponitur, vel gallam in aceto maceratam, & postea siccatam, puluerisatam, super sinum ablutum conspergitur subinde.

Cur maleficæ non ditentur?

Vt iuxta complacentiam dæmonis in contumeliam creatoris, quantum possibile est, pro vilissimo precio emantur. Et secun-

ſecundo ne in diuitiis notentur. Tom. 1. part. quæſt. 18.

Cur venereus actus facilius maleficiatur?

Ratio eſt, quod plus permittit Deus ſuper hunc actum, per quem primum peccatum diffunditur, quam ſuper alios actus humanos. Tom. eod. part. 2. q. 1.

Cur in venereis magis maleficantur viri, quam fœminæ?

Quia tale impedimentum fit interdum per obſtruſionem vaſis vel etiam per motum localem reprimendo rigorem membri, quæ potius & facilius in viris contingere poſſunt, ideò plures viri maleficiantur, quam mulieres.

Poſſet etiam quis dicere, quod ideo, quia plures mulieres ſuperſtitioſæ ſunt, quam viri, & potius allicere cupiunt viros quam mulieres.

Vel etiam in deſpectum hoc faciunt mulieris coniunctæ, vt vtrobique faciant occaſionem adulterandi, dum vir alios cognoſcere poteſt, & non propriam, & ſimiliter vxor etiam alios habeat quærere amatores. part. 1. q. 8.

Quæ-

Quomodo Diabolus vim generatiuam impediat?

Dicendum, quod Diabolus impedit generatiuam vim non impedimento intrinſeco, lædendo organum, ſed extrinſeco impediendo vſum.

Vnde quia eſt impedimentum artificiale, non naturale, ideò poteſt impedire ad vnam, quod non ad alios: Vel tollendo excitationem concupiſcentiæ ad illam, & non aduerſus aliam & hoc per virtutem propriam vel herbam, vel lapidem, vel per aliquam naturam occultā.

Quomodo frigiditas naturæ à maleficio dignoſcatur?

Si quæritur, quomodo poteſt diſcerni, quod ex maleficio contigerit? R. Quando virga nullatenus mouetur, & nunquā potuit cognoſcere, & hoc eſt ſignum frigiditatis. Sed quando mouetur & erigitur, perficere autem nō poteſt, eſt ſignum maleficij. part. 2. q. 8. Nota ſecundum canonum ſanctiones, quod quicunq; propter vindictæ libidinem explendam vel propter odium aliquid fecerit viro vel mulieri propter quod non poſſet generare,

re, vel concipere reputatur homicida, extra de homicid. Et nota quod communiter loquitur canon de amatoribus seculi, qui suis amasiis per pocula, ne confusionem incurrant, talia procurant. Vel etiam per certas herbas naturam nimium infrigidantes absque auxilio Dæmonum. Vnde pœnitentes sicut homicidæ puniendi. part. & quæst. ead.

Cur Sathan ad exsecranda sua maleficia sacratos festos dies eligat?

Primò vt sic malefici non solum perfidi per apostasiam à fide, verum etiam sacrilegi vitium incurrant, in quibus ipsi dæmones vt ipse creator amplius offendatur, & grauius in propriis animabus maleficæ condemnentur.

Secunda caussa quod cùm Deus sic grauius offenditur eis maiorem potestatem sæuiendi in homines, & puniendi illos, siue in rebus, siue in corporibus etiam innoxios relinquant.

Tertia caussa vt maiori opportunitate plures ruere faciant, præsertim iuuenculas, quæ festiuis diebus ocio, curiositatibus,

bus, dum amplius insistunt eò facilius à maleficis vetulis seducantur.

Potest & addi quarta caussa, vt sic facilius homines seducant, qui dum sic cõsiderant quod talia à Deo sacratioribus tẽporibus fieri permittuntur, non æstimet illa tam grauia esse, sicut si illis temporibus nequirent facere, part. 2. quæst. 1. c. 4.

Violentia vel beneuolentia vincuntur malefica cap. 7.

Cur circa serpentes magis vis maleficorum versetur?

In serpentibus magis ostenditur virtus maleficorum, vt dicitur, quam in aliis animalibus, quia per serpentem Diabolus tanquam per suum instrumentum mulierem tentauit. part. 1. quæst. 7.

Quomodo malefica animalia interimant?

Super motum autem quo animalia & iumenta maleficæ interimunt, dicere oportet, quod sicut homines, ita & iumẽta vel tactu & visu, vel visu tantum, vel vbi subter limen ostii ipsius stabuli, vel vbi solent adæquari maleficium aliquod seu instrumentum maleficii reponunt.

Sic

Sic enim & iſtæ in Ravensburg incineratæ ſemper ad inſtantiam Dæmonum vbi meliores equi, aut pinguiora erant jumenta maleficiare habebant. Et dum interrogatæ fuiſſent, per quem modum talia efficerent? Reſpondit vna nomine Agnes; quod ſubter limen oſtii ipſius ſtabuli certas res occultarent. Et interrogatæ cuiuſmodi res? Reſpondit: Diuerſarum ſpecierum animalium oſſa. Et vlterius in cuius nomine hoc facerent, interrogata reſpondit, in nomine Diaboli & omnium aliorum Diabolorum.

Sed & altera nomine Anna, quæ dum vni ex ciuibus ſucceſſione viginti tres equos maleficiaſſet, quia vector erat. Vltimatim dum viceſimum quartum emiſſet, & iam ad extremam paupertatem deueniſſet, vector ſtans in oſtio ſtabuli, dixit ad maleficam, quæ in oſtio ſuæ domus ſtabat: ecce iam emi equum, promitto Deo, ſi equus ille moritur, quod ego manibus meis propriis te interficiam. Sicque territa malefica, equum ſibi

bi intactum reliquit. Dum autem capta, & interrogata fuisset, per quem modum talia effecisset. Respondit, se nihil aliud nisi foueam fecisse, qua facta, diabolus certas res imposuisset, sibi ignotas. Qua ex re colligitur, quod tantummodo aut manum, vel visum apponere habent. Et hoc, vt quoquomodo maleficæ cooperetur. Alias enim diabolo sæuienti in creaturas facultas non permitteretur, vbi malefica non concurreret, vt prius tactum est, & hoc contingit propter maiorem offensum diuinæ maiestatis sæpissime etiam à pastoribus visum, quod certa animalia in campis, dum tres, aut quatuor saltus in aërem fecissent, subito in terram colllapsa interierunt. Et hoc vtiq; dæmonum, ad instantiam maleficarum, virtute.

Ad audaciam augendam.

Cor simiæ prohibet pulsum cordis, & audaciam, quæ in corde residet, adauget. *Port. mag. nat. lib.* 1. *c.* 14.

Gallus

Gallus vt continenter, & aßiduè cantillet.

Experimento comprobatum est, lignum aloes, vel suffitum, vel naribus admotum, mirifica esse vi in corroborando cerebro, ac sensibus excitandis, adeo vt si in puluerem redigatur, admixtis aliquot caryophyllis, atque osse de corde cerui, eaque oleo nigellæ commisceantur, eius vires conferre cerebro, vt si galli gallinacei vertex eo oblinatur, cantillare non desinat. Lemn. *de complex. lib.2.cap.4.*

Vt coruus depictus crocitet.

Si rana perforato pariete immittitur, inde charta cooperitur, & in ea coruus depingitur, accensa extra face vel admoto igne, incalescens rana coaxat, vt corui voces imitetur, sic depictus coruus crocitans ostenditur. Port. *libr.2.cap.18. mag.nat.*

Corui singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuent, ventos, si vero carptim voces resorbent, ventosum imbrem nuntiant. Peu. *lib. de diuin.*

Tem-

Tempestatum præsagia.

De Sole.

Sol purus oriens neque feruens, serenum diem nuntiat.

Concauus oriens pluuias prædicit.

Si circa occidentem rubescunt nubes, serenitatem futuræ diei spondent.

Si spargentur, pluuiam ventosque significant.

Cum oriente radii non illustres, pluuiam nuntiant.

Si in exortu rubescunt nubes, maxima ostendetur tempestas.

Si oriens cingetur orbe, ex qua parte in se aperit, expectetur ventus.

Si totus defluxerit, serenitatem dabit.

De Luna.

Lunæ cornu septentrionale acuminatum, inde præsagit ventum.

Si quartum orbis rutilus cinget, ventos & imbres nuntiat.

Nascens atro cornu, pluuias decrescens dabit.

Vers.

Pallida Luna pluit, rubicũda flat, alba serenat.

De Autumno.

Autumni ſerenitas ventoſam hyemem facit.

De Stellis.

Volutantes ſtellę ventos nuntiant.

Eædem in plures diſiectæ partes, inconſtantes ventos effundent.

De fulgure.

Quum ab aquilone nocte ſerena fulguraverit, ventum & imbrem demonſtrabit.

De nubibus.

Nubes vehementius atræ ab oriente, in noctem, aquam minantur.

De nebulis.

Nebulæ cœlo cadentes, ſerenitatem promittunt.

Ventus antemeridiem exortus.

Exoriens ventus venturam pluuiam præmonet.

Mare.

Mare in trãquillo portu intra ſe murmurans, ventum prædicit.

Ignis.

Ignes pallidi tempeſtatum nuntij ſunt.

Ful-

Fulminis effectus mirabiles.

I. Fulmen gladium in vagina, aurum incrumena, pedem in calceo demolitur absque læsione inuolucri, Quia poros sine resistentia ingreditur, circa solida vero & resistentia diu moratur ea consumendo. Sic quandoque ossa sine macula apparente in carne, pusilla enim mora circa ignem morans non læditur ab eo, vt patet de manu velociter tracta per flammam.

II. Fulmen quandoque dissipat arbores, ac si cuneo fissę essent, absq; adustione, quandoque vero decolorat atq; denigrat tacta absque incensione. Et causa primi est vehementia ictus. Secundi est raritas & debilitas exhalationis, quia ignis in materia magis densa fortius vrit, vt patet de ferro ignito, sed in materia nimis densa nimis vrit, vt patet in stupa.

III. Fulmen percussa animalia venenat instar morsus serpentis, & rabidi canis, quia materia eius sulphurea est, & venenosa.

IV. Fulmen quandoque dissipat vas

ſine effuſione vini, intoxicatque vinum, ita vt potantes vel moriantur, vel rabiem & dementiam incurrant, propter naturam eius infectiuam. Et ratio ſtuporis vini, contrahitur in ſuperficiem exteriorem, vbi tanquam pellicula conſeruat vinum, ne defluat per triduum, vt dicit Nicolaus Orem.

V. Fulmen percutiens animal venenoſum, purgat illud à veneno: Sed percutiens non venoſum, venenat illud. Quia ab eodem agente quandoque diuerſi fiunt effectus, ratione materiæ aliter & aliter diſpoſitæ, vt patet de vento vnam candelam exſtinguente, & aliam incendente.

VI. Fulmen percutiens dormientem, aperit oculos eius, & vigilantis claudit oculos, cuius cauſa eſt, quia dormientem expergiſcere facit, ſed vigilantem ſtupore afficit, qui claudit oculos, & citius moritur quam vt eos rurſum aperire poſſit.

VII. Quod percuſſa fulmine verſa iacent, contra ictum. Cuius cauſam dat Albertus illam. Quia impetus ictus vehemen-

hementis conuertit percussa contra impetum. Et naturale est animali se conuertere versus nociuum improuise aduenienns admouendo ei vultum.

VIII. Fulmen quandoque lædit fœtum in vtero matre illæsa, cuius causa est teneritudo fœtus, & robur matris. Quale legitur de Martia muliere Romana apud Plin. lib. I. cap. 51.

IX. Quod serpens fulmine vermiculat, sed non aliunde mortuus, quia fulmine purgatur à veneno proprio, quod est alterius naturæ, quam fulminis, quod prohibet vermium procreationem.

X. Fulmen quandoque consumit pilos hominis, homine illæso, propter debilitatem exhalationis. Quandoq; vero hominē interimit, nulla extrinsecus apparente macula, propter subtilitatem exhalationis, quæ si grossa fuerit, signum adustionis relinquit.

XI. Quod diu intuens fulgur, & cōtra coruscationem eleuans vultum vel excœcatur, vel facie contumescit, propter haustum ignem per poros vultus &

oculorum, qui inflat vultum, & excæcat humorem cryſtallinum in oculis. *Barth. Arn. in Epitom. nat. phi. tract. 4.*

Antipathia inter vitem & braßicam.

Pernicialia ſunt braſſicæ & vitis odia, ac ſpectanda earũ dimicatio. Vitis enim cũ intortis clauiculis omnia complecti ſoleat, ſolam refugit braſſicã: Nam prope ſentiens in aduerſam partem ſe torquet, vt ſi quis eam admoneret hoſtem eſſe in propinquo, dumque coquitur braſſica, vinum vel ſi pauciſſimum inſtilles, nec coquitur, nec ipſius color conſtat. Ipſumque olus quo vitis fugatur aduerſum Cyclamino & origano perareſcit, vt vnum vireat, alterum pereat neceſſe eſt: iuxtaque conſociatæ ſæpe aridæ ſpectantur. Sic quoque vitis laurum odit, quia odore deteriorem facit. Nam eam olfacere & allicere dicunt, quamobrem cum germen eo acceſſerit, retro graditur, inimicum fugiens odorem. Sic etiam vites amant vlmum & populum, quod nimis propemodum in eis luxurient, vt ipſis nuptæ maritæque per

earum ramos ſcandentes adeo capreolis, & ſequacibus loris amplexentur, & auelli, diuelliquc nequeant, & lætiſſime multum adferant fructum, quod in aliis ſic euenit. *Porta in Magia nat. lib.* 1. *c.* 9.

Vt lactuca ſeminibus multis conſita naſcatur.

Si lactucæ folia, quæ iuxta radios ſunt, euellis, ſinguliſque gradibus ſemen condis, ocymi ſcil. erucæ, naſturtii, & ſimilium, admixtoque fimo obruis, enaſcetur enim ab omnibus coronatus thyrſus. Port.

Lignum non adurendum.

Ligna & tabulata alumine illita, non ardeſcunt, vt nec poſtes, fores, aut lacunaria ære viridi imbuta, modo cruſta durior iis obducatur, & alumen plumbique albi cineres, pigmẽtis copioſe miſceãtur.

Candelam inextinguibilem facere.

Imple cannam puluere ſulphureo, & pãniculo minutiſſimo fractis, deinde cera, quicquid eſt, inueſtito, & incendito, nullo flabello, aut vento extinguuntur. *Mizald. aph.*

Flammam eminus proiicere.

Id cōmode faciunt colophonia & thus, & succinum præcipue, nam si flammam concipit, in altum se tollit, eminus flammam emittens, si inter digitos candelam continebis: In palma autem pinsitũ puluerem dumq; proiicis, euolet puluis per candelæ flammam. *Port. lib. 2. c. 10.*

Aqua ardens.

Effici sic rite poterit: Vetus validum & nigrum vinum habeas, inde intus viuam immitte calcem, tartarum, viuumque sulphur, vitreis organis Chymistarum aquã exsugito, hæc mirè ardet, nec ardere desierit, nisi tota consumetur, vel parum relinquat. Si in patinam vel aliud patentius vas pones & flammam admoueas, illico ignem arripit: si in murum proieceris, vel è fenestra noctu innumeris scintillis & igniculis accensum aere videbis, ardet in manibus detenta, nec comburit multum, id autem aduertito, si pluries distillabis minus ardere: Id enim aceto contrarium habet ardens. Si minus phlegmate redundet vis spongiam oleo madidam

dictam vasis in distillatione accommodato, phlegma autem penetrare non sinit. *Ioan. Bapt Port. Mag. nat. lib. 2. c. 10.*

Domum argenteam & luminosam videre.

Si praeoptatis, sic efficies. Nigris abscinde lacertis caudas, & stilla è fractura emanans lucida excipiatur, è multis tamē plures adiuuabis, & papyraceum licium vel sparteum inficies, & si poteris oleo permisceto, sic argenteo colore omne videbis perfusum. Idem in omnibus mutaberis. *Bapt. Port. Mag. nat lib. 2. c. 17.*

Draco volans, aliquibus Cometa Sydus dicitur.

Cuius talis fit constructio. E subtilioribus arundinum paxillis quadrangulum constituatur, vt longitudo latitudini hemioltae sit proportionis, diametri duo & ex oppositis partib9, vel angulis immittātur, quarum intersecatione funiculus irrigetur, & eiusdem quantitatis, cum duobus aliis iungatur, è capitibus, machinae praeuenientibus, sic papyro vel subtili lino obtegatur, ne quod graue in ea fit: Inde è turris, montis, vel altioris loci fasti-

gio ęqualibus & vniformibus ventis credenda, non validis ne disrumpatur machina, nec leuibus, si vndiq; silebit aura, nam eam non sublimat, ventorumq; segnities irritum faciat laborem: Ipsa recto non incedat tramite, sed oblique, quod efficit funis tractus è capite vno ex altero longa cauda, quam è restibus effinges æqui distantibus, & papyris passim religatis, sic leui tractu immissa, artificis manibus committenda, qui nec segniter nec oscitanter, sed valide impellat.

Et sic volitans carbasus aera petit, vbi paululum fuerit eleuatum (hic enim ex domorum anfractu disruptus est ventus) vt vix manibus compesci, vel retineri queat, Laternam aliqui supra locant, vt cometa videatur. Sclopum alii charta, & pyrio puluere inuolutum, & cum in aere quiescit, immittitur per restim accensus funiculus, anulo, vel lubrico aliquo, statimque velum petens, ignem ori admouet, maximoque tonitru, in plures machina dissilit partes, & ad terram procumbit. Ælurum aliqui vel catulum ligant

ligant ac per aera immissas auscultant voces. Hinc auspicari poterit ingeniosus principia, quonam pacto & homo volare possit, ingentibus alis cubito & pectori deligatis, eas autem à pueritia paulatim iactare adsuèscat, loco semper subli miori. Quod si quispiam id mirum putauerit, adspiciat ea quæ Archytam Pythagoricum commentum esse atque fecisse traditur.

Plerique enim nobilium Græcorum, & Fauorinus Philosophus memoriarum veterum exsequentissimus affirmatissime scripserunt, simulacrum columbæ è ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum volasse, ita erat scilicet libramentis suspensum & aura spiritus inclusa atque occulta concitum. Porta *lib. 2. c. 10.*

Vas inuersum vt aquam hauriat.

Quod sic efficies. Longissimi colli paretur vas, & quo longius, eo mirabilius, vitreũ vero, & perlucidũ vt adscendentẽ aquam inspicias, hoc pullientis aquæ

expleatur, & vbi totum efferbuerit vel igni fundum admoueto, illico refrigescat, inuerso ore aquam tangat, & intro totam absorbeat.

Sic naturæ rerum exploratores solis radiis aquam hauriri & absorberi aiunt, è terræ concauis locis in montibus, vnde fontanea efficitur scaturigo: Nec leuia insurgunt hinc artificia in spiritalib. mechanicis vt tendit Hieron. sed vbi ab hoc proposito aliena alio transferatur. Idẽ *lib. eod. c.* 14. *Vas ventum proiiciens.*

Sic enim confici potest, si fiat æolipila rea, vel rei alterius, sit caua & rotunda & in ventre punctum habeat angustissimum, quo aqua infunditur, & si fors arduum fuerit, priori vtere experimento, si ad ignem accedens inferuescit, cumque nullum habeat spiramentum, maximum inde eiicit Spiritum, sed crassitudinis humectum. *lib. & cap. eod.*

Vt tres schedulæ non tactæ situm permutent.

Quod illud penitus ignoranti fieri nõ potest, quin mirabile videatur: Tres fiant schedulæ longiusculæ è papyro, vel linteis,

teis, seque mutuo æquali superent longitudine: Nã capite vno æquatæ omnes, & æquè reuolutæ, deuoluuntur diuersiq; situs reperiuntur, longior in medio vel primo loco, si longior eadem in postremo fuerit loco, immobiles remanent, quod non est, qui non putet, à dæmonibus factum, sed aliunde non euenit, nisi quia in reuolutionis fine remanet procerior, & extrema à qua exoritur in reuoluendo remanent. Quorundam fuit error, qui verborũ vi euenire putabant, ac de interrogatis omnibus, tanquam de oraculo responsa præbebant, nam si sitũ permutabant, ritè auspicari, effectusque propitiari, sin minus infortunari: Nec voluere rationibus, & experientiis fidem permutare, cum habitum in credendo effecerint. *Iohan. Bapt. Port. Mag. nat. lib. 2. c. 14. de mechanicis quibusdem experimentis.*

Varii fructus & vina medicata.

Veteres illi summo studio, diligentiaque sunt enixi, quonam modo diuersis antidotis vinum conderent, vsuique, si opus foret, accommodarent, neque hoc iniu-

iniuria factum, vt nil cōmoditati præstantius: & monstrat, quod eorum pars maior multa memoriæ prodidit, & curiosius, quam par fuerit, mirabilia dictu, operatuque facilia, quorum commeminit Theophrastus. Apud Heracliam Arcadiæ fit vinum, quod epotum viros dementat, & mulieres infœcundas reddit. Ei simili, quod in Træcensi agro ab Athenæo comprobatur. Et apud Thrasum vinum fit somniferum. Et aliud arte quadam conficitur, quod epotum vigilantiorem facit, variæque vinorum conditturæ, quas apud diligentes rei medicæ, & agriculturæ scriptores inuenies, nec scitu difficiles, nec iis arduum fore credo, qui simplicium vires nouerint, & coniectura consequuntur, ea denique operantur, quæ ex loci eueniunt proprietate, & vtilissimum fore puto, vt iis adhibeantur, qui medicamenta timent, & horrescunt, vt prius iucunde absorbeant, quam odisse velint. Sitque primo:

Vitis Theriaca.

Pangendum sarmentū, vt docet Florenti-

rentinus primo, & secundo Georgicorũ suorum; radice tenus quatenus digitorum latitudine sit ima parte fissum, ablatis medullis, ipsius vice veratrum inferatur, ac stricto vimine, & terræ mandetur: vuas hoc modo dabit, quarum esus, aluum præmollit, & euacuat.

Vel si efficacius vis vacuent, eadem sarmenta antidoto satiata, scyllæ bulbo inserendo terra recondito, semper medicamentum infundendo assidua suffusione, & succo satientur imbibendo, ne tam cito senescat vis.

Si autem propomata sponte vis nasci, vt Palladius docet: E vitibus ipse sarmenta ponas in vas aliquod semiplenum potionibus vel conditis absynthiatis, vel rosatis, vel violatis: inde terram simul resoluas ad lixiuii modum, donec sarmentorum oculi in germen nouæ frondis erumpant, tunc sarmenta ea, quouis loco vitium cæterarum more depones, & tales dabit fructus.

Vinum Phthorium, id est, quod partus enecet, & abortus faciat, sic fiet: Scãmoni-

monium, vel niger elleborus in vite inſeratur, terebra vitem pertundito, & vitigineos ramos illos, quos voles, & fiet.

Vel circa ipſam agreſtis cucumis ſeratur, inde vim detrahens, & combibens. Vel ſi vino veratrum maceramus, idem præſtabit, & ſic diuerſarum mixturarum vires adſciſcit. Et

Ficus

Quarum eſus, aluum læuigat, habebis, ſi radicibus veratrum, cum tithymalo tritum inieceris, vel inſerueris, talia dabit poma. Nec ignorandum ſæpius tranſplantata, & inſita antidotum elangueſcere, tu denuo ſemper addito. Mire aluum inaniunt cucurbitæ, & cucumeres, ſi eorum ſemina antequam ſeras triduo, vel biduo dictorum ſucco maduerint & enati cucumeres hoc præſtabunt. Sic habebimus.

Pruna purgatoria, & ſomnifera.

Si ſomnum, & alui deiectionem moliri affectas, ſic fuerit præſtantius: Ramũ, vel totam plantam terebra, inde ſcammonio, vel opio impleas, papyro, vel cortici-

ticibus recte inuolutam relinquito, cumque matura fuerint poma ventris deiectionem, & somnum molientur.

Vel si citius idem affectabis, Caricas ficus, quas Ischiadas Græci appellant, & passas vuas vino, vel aqua per diem macera, dum tumescant: vbi prius scammonium, vel opium dissolueris, & si amarorem quendam resipiunt, dulce aliquod admisce, & insolatis vtitor. Sed de vinis hactenus medicatis.

Florum & fructuum conditura.

Tanta est siderei caloris inconstantiæ vis, vt omnia, quæ ambit, & sublunaris complectitur mundus; ad finem tēdant, nec à motu desistant: sed non adeo hominum mentes caligant, hebescuntque sensus, quin multa fere obnoxia euadāt. & si gratæ fructus figuræ, iucundi saporis, insignisque coloris lenocinio venustauimus, ne tam celeriter eorum depereat gloria, cœliq; improb⁹ variantis motus tabefaciat, & exanimet, sic constantes reddes contra tenorem algoris, æstusue: nec fies inglorius, si pro viribus ambientis

tis aeris, & per cuncta meabilis ab iniuriis vindicabis, qui naturæ agnatione calidæ, quod in pomo reperit, allicit, vt se miserum innata prius frigiditate lacessitum, quam naturalis abrepti caloris exinanitum sentiat, eoque flaccessente, siccessit. Plurimum quoque ad hoc confert loci situs. Fenestras ergo patentes Septentrioni dirige: claudendæ enim sunt, quæ ad Austrum vergunt: Austri enim afflatu rugis deturpantur non tamen sine foriculis, ne pertinaci vento, cum humorem amiserint, vieta fiant, vel putrilaginis labe putrescant poma. Nunc etiam tradamus modum in floribus fructibusque. Et primo ex Anatolio: & reliquis, vt

Rosa & Lilia vegeta seruentur:

Legantur rosæ, reliquique flores, non iam satiui, cum iam patefacti perennant: sed flore iam dehiscente, cæsuram in liquidam picē immerge, & arundine fissa condantur, rite picentur, & sub die obruantur accliui loco, ne labens aqua pluuia noxam afferat.

Vel

Vel arundinem iam viridem findito, rosam vel florem intus condito, & fissuram vt coeat curabis, sic ouans habebis, quod optas.

Lilia vt talia inueniantur, qualia condantur, id facito. Cum occlusa sileant, decerpas, prius quam dehiscentia se pandant & arundinibus vel lagunculis opertis, & bene picatis, ne expirent, recondãtur: sic cum exegerit vsus, relaxato spiramento, detrahes, nam vegeta toto anno seruabis.

Aliter: vas fiat quernum, hoc floribus reple, & rosis quæ nondum oscitent, bene operculato, & picato, ne intro fortasse aqua permeet, putei, vel cisternæ aquis immergat, vel currentibus, quo minus putrefiant, ibiq; multum durabunt virides occlusi: cum omnes dehiscant velis, pediculum in malum figito, aut aceto immergito, Soli ostendendo. Nunc modum tradamus quomodo

Poma in vigore diu maneant.

Præcocia pyra, mala cotonea, sed mustea spernenda, ficus, tuberes, & zizipha

cum suis frontibus legito omnia immatura, non tamen percruda, caduca sunt separanda, vndique diligenter inspiciendo sint ne integra, nec manibus quassentur, incisos eorum tenaces calida cures amburi pice, parum tangendo, nam facilius principium putrefactionis exhiberent: inde cannabi, stupaue inuoluendo, feruenti cera circumlinea & circūlita melle demergantur, vt sint omnia submersa, & separata custodi, ne simul commisceas, ne se mutuo contingant: alterum enim ab altero corrumpitur: operculo imposito operculatumque vas pellicolato, & per annum viridia semper habebis: & sic omne pomum in melle seruari potest, quod in vetustatem reponitur. At virides ficus seruare docet Africā. Ex viridibus cucurbitis è lateribus eximito partes, quę spleniis existunt similes, & excaua velut loculos, & vaginas, inde in singulis singulas ficus appones cum petiolis, vt durabilius integræ sint allatæ, quippe quæ diutius durent integræ, inde obturato, & vmbroso suspendito loco, ne ignis, vel fumus inspiret. Vel

Vel mala in vigore decerpta conditiua ę Socionis sententia, si gypso subacto illeueris, vel figulorum creta singula crustabis: vbi occalluerint, incolumia diu seruabis, cumq; vti libet, dulci aqua perluito.

Vuas quoque sic immarcessibiles habebis: si singulis fictilia vascula pensilia apposueris occlusa, in imo vero pertusa, & imposito cespite pluuiam arcebis muniens, ne vel trunco mutuo rumpantur, vel alio munimine ambito.

Sic pinsito vitro si circumuoluantur & obruantur, longo tempore conseruantur. Multa quoq; in picatis doliis musto immersis. Sic myrteas virgas cum baccis, & ficulneos ramos in amurca seruabis. At si vis

Poma in arbore diu immorari.

Ramulos intorqueri iube, ne maturescens humor in ipsa dilabatur, & ea incolumia seruabuntur contra æstiui caloris blandimenta, tali maxime pacto punica seruantur: ne hiantia dispereant. Aliter seruamus.

Sor-

Sorba & pyra.

Paulo amœnius lecta, sed duriora non decidua, fictilibus vasis condito, & operculato, quæ picari pariter & gypsari facias, bipede effossa scrobe inuerso ore obruito, superinducta terra, spissius supra pedibus calcata, decliui loco, per quem perennis aqua decurrat. At

Vuas & punica

Seruare si volueris: Sint vuæ duracinæ, & illæsas legi iube, ne sint acerbitate duræ, neque maturitate defluentes, tactu molli cum iucunditate calloso, & si qua sunt putrida, resecari debent: sic in feruentem aquam dimitte tempore exiguo, ne excoquantur, sed temperamento quodam opus est: dein sublata in vmbra suspendantur. Neque hoc prætermittendo, quod aduertit Columella, vt seruari omnis possit vua: Decrescente luna post horam, cum insolata iam est nec roscida, viti detrahatur, & seruetur. Si vis

Vua

Vua in vite vt seruetur.

Ex Beritii præcepto: Iuxta vitis radices vmbroso & accliui loco, vt facile pluuia aqua dilabatur, scrobem ad erecti hominis altitudinem effodito, arenam pauimento consternas, vt siccitate melius cõseruet, supra calamos & hastilia defigas, & sarmenta luxans illæsis botryonibus assidue obtorqueto, & adnexantur dependeantque ex ridicis ne pauimentum tangant, & contignatione tegito, vt eo imber penetrare non possit, & reseruatur vsq; ad ver perpetuum per annum clausa. Rebus his finem imponendo, remanet

Arbores necare.

Si volumus, sic possumus: Corticem in orbem detrahamus, cortice enim spoliata interit omnis árbos, sed tardius & celerius: vt tilia, & robur ocius, tardius autem infirmiores. Refert quoque quibus fiat anni temporibus Martio & Februario statim emoriuntur, hyeme autẽ robustis arboribus diuturnior est interitus. At subero corticẽ detrahere oportet, ne

ne deterior fiat. Sic pastinacæ marinæ radius omnium caudici præfixus occidit. Et menstruatus pannus radicibus admotus, præsertim iuglandi nuci, vt placet Democrito. Platanus autem circumdolata, quæ in Antrando & Philippis euenerat, si reuixit, & cortex iterum circumtexit, fuit pro ostento habita. Aruspex enim tunc persuasit, vt sacrificarent custodirentq; arborem vtpote factam ostento fausto.

Nunc verbasci proprietatem quandam enarrare superest. Mane cum flores aperit, si planta leuiter concutitur, paulatim flores siccescentes defluũt ad terram omnes, nec fuerit qui id inspiciet, quin magicis preçaminibus euenire credat, si quis decusserit, inania quædam obmurmuret verba.

Ex omnibus quæ adhuc narrauimus coaceruatis, vnam nouimus arborem, sępe loci gratia deliciarum horti arborem dictam: erat enim crassitudinis & proceritatis non ingratæ, apto vase obsita, præpingui, rigo, & superfœtante solo, vt tum plan-

plantæ vigore, tum humi vbertate, frugalitateque insitis alimentum suppeditaret. Erat trifurca, in vno vuam vinaceis vacuam, discolorem, & medicatam gerebat, quarum altera soporem, altera alui deiectionem moliebatur. Affert secundus ramus persicum, ex persico & nucipersico interuallis pluribus æquè distinctum, exossem, & ramulo nunc persicum, nunc nucipersicum protuberãs, si aliquod pomum nucleum habebat, dulcem vti amygdala dabat, & nunc hominum, nunc animalium faciem ementiebatur, diuersaque demonstrabat lineamenta. Dat alter cerasia exossa, acida, dulciaque, dat mala aurea, cortex floribus, rosisq; consita fructus debitam omnem superantes magnitudinem, dulciores, odoratiores, verno tempore efflorescentes, debitum vltra tempus fructus producentes: diutiusq; immorabantur, continuæ fecunditatis orbem perpetuum annum ministrabant, per quosdam gradus poma sibi succedebant, fœtura interpolabatur, brachia ponderibus inclinata procũbebant,

& deniq; sic cælum fauebat, vt pulchriorem non conspexerim. De huiusmodi re iam satis: longius enim euagati sumus, quam par fuerat, quorum aliqua ex maiorum monumentis excerpsimus, tépori regioniq; accommodantes, quæq; multis erát experimentis cognita, multis præterea ingeniosis, & vtilissimis auximus.

Diuersa ignaria parandi ratio.

Fortuito euenisse narrat Vitruuius q̄ diuersæ arbores, crebroque ventis & tépestatibus exagitatæ attritu valido ramos terentes, collisis inter se partibus & rarefactis calorem euocarint, vnde magna successit flamma, efferati, & agrestes homines inde perterriti terga fugæ dedere, sic iam sopita flamma, propius cum accessissent, & magnam inde humanis corporibus perpendissent accedere cõmoditatem, ignem conseruabant: sic vrbanitatis, consuetudinis, & sermonis causas præbuisse, inde pastorum in solitudinibus, & militum in castris explorauit necessitas, diuersa quomodo parari ignaria possint, cũ semper abstrusum ignem ad excu-

excutiendum silicis occasio non detur, & docuerunt quæ nam ligna essent vsui accommodata; & quanquam terebrum & conceptaculum ex eodem fieri nonnunquam eueniat, tamen ex vno, quod agat, atq; efficienti vim retineat, ex altero vero, quod patiatur, ex molli vno, forti altero faciendum censent. Exemplo

Ligna, quæ attritu ignem concipiunt,

Sunt, quæ maxime calida, vti laurus, rhamnus, ilex, & tilia. Menestor vero morũ addit, & coniiciunt, quod ascias ilico retundent, & hebetent, ex his omnibus terebrum faciunt, vt attritu acrius resistat, & pertinacius opus expediat, conceptaculũ vero ex molli: vti hedera, ferula, syluestri vite, & similibus arefactis, & penit⁹ humore omni exinanitis: ad summum ea deteriora ad ignarium vsum veniunt, & reiiciuntur quæ vmbrosis contectisq; locis assurgunt. Et sic cõmodius expedies, nec referre arbitror, si laurum lauro, vel hedera enudata, ferulã ferula confricaueris, & (quod præstantius est) fune super eam celeriter & vehementer

moto, & vbi fumum eleuabit, adiecto minuti sulphuris momento, fomitem admoueris prout arida nutrimenta, quæ ex materia parabis aridi fungi: foliorum excocti velleris, circa tussilaginis radices reperti: ocyus enim ignem concipiunt, retinentque. Ex ignariis olea vt inepta reiicitur, pinguiori materia, & immodico humore referta. At cum hominum mens raro in eisdem repertis subsistat, sed nouis reperiendis alrius viam inuestiget, eius industria repertus est

Lapis, ignem humido quouis excitans.

Huiusmodi faciundi ratio hæc est: Magnetem lapidem in ollam, vel aliud consimile vas coniice, viua calce immersum, meliusq; fuerit si colophoniam adieceris cum calce pari: cum vas expleueris figulari creta circumlito spiramento, fornaci inditur, donec percoquatur: inde detrahatur, & in nouam ollam coniiciatur, creta denuo illita imponatur fornaci, alternis eadem prosequendo, dum vehementer inalbuerit & torrefiat: cum opus fuerit, aqua vel saliua superinfusa flāmam ele-

eleuabit, qua sopita loco calido ad vsum recondito. Est quoque

Alia faciendi ratio:

Si viui sulphuris, salnitri vocati repurgati pari pondere, caphuræ duplum, nouæ calci addantur, ac omnia mortario conterantur vsq; adeo tenuia, vt in aures euolare possint, simul stricte linteolo deligata conuoluantur, testaceo vase clausa, superillita argilla, feruenti desiccentur sole, figulorum imponatur fornaci, cumque figilinum vas fuerit excoctū, in quo maxima est adhibenda diligentia, in lapidis duritiem coeunt, & rediguntur, extracta ad vsum ministrantur. Sic

Aliter idem

Hoc efficies: Sumatur magnetis lapidis prænarrata calx, salnitri sæpe purgati quadruplum, æquali pondere caphura, viui sulphuris ignem nondum experti, & terebinthinæ resinæ oleum, & vini fæces concretæ, quas semper tartarum vocabimus posthac; hæc omnia mola vel pila trita cribrentur, quæ infracta supersunt, denuo terantur cribrenturque insuper

austeri vini ardentem aquam paratam habeas, eamq; infundas, vt supereemineat, vitreo vase condito & operculato, ne halitum expiret, fimo supponatur duobus vel tribus mensibus, denis vicissim diebus innouando, donec mellis crassamentum imitetur, nec vllum diuisionis iudiciũ præbeat, flagranti inde carboni inferuescat, dũ humiditas omnis euolet, & penitus siccata in lapidẽ coeat. Si hoc cognoueris, vas frange, & exemptam iterum terito compositionem, aqua vel humore aliquo leniter superinfuso flamma erigetur, & inter omnes principem hæc sibi vendicat locum.

Variæ ignium compositiones.

Nec spernenda, vti nõ necessaria, nec visu existit iniucunda artificiosa ignium compositio, nec multum à superioribus degenerat, de qua nos aliqua narrabimus experimenta, quæ quanquam ab ignaris & idiotis tractentur, subtilitatis tamen plurimum habent, nec ea recensere pigebit. Et primo

Ignis mixtura, quæ sub aqua ardeat.

Quo-

Quomodo autem fieri possit, late patebit; multifaria est enim earum compositio, eaque dicemus, quæ paratu facilia cum sint, citius opus expediunt: Puluis primo paretur pyrius (vt dicunt) ad bellicas machinas, quibus ab ardendi bombo, nomen bombardum, est inditum: hic mixtiones horum subintrat omnes, vtpote basis & fundamentum: cui adiiciatur tertia colophoniæ pars, communis oliuarum oleo quarta, sexta autẽ sulphuris, rite permisceantur, ex omnibus resiccatis periculum sumunt, si valentius vritur quã quęritur, colophoniæ, & sulphuris, si remissius, pulueris dicti plusculum suggeratur, horũ mixtura in stramẽtis, & linteis obuoluatur pannis, vel ex iis cõfectis, strictius quã possit, inde funiculis & ligaminibus obuolutã feruenti immergũt pici & resiccari curãt, ac denuo straminibus munientes, illinunt pice vt eam ab aquæ humiditate tueatur, nec ignis vi discumpi sinat, vbi autẽ rite fuerint insolata, paruo foramine peruia, ignẽ immittũt, & ardere incipiente, paulo morentur

tempore, tum proiiciunt in aquam, nec se ab ea extingui sinit, nunc fundum, nũc aquæ superficiem petens, & in ea obuoluitur. Nec displicet, vt naphtam adiungant iis, quam petroleum vocant: rapacissimus enim ignis est, eoque longè viso dissilire cogit, vt magnes ferrum, & comburitur. Multumq; bitumen hoc in aqua ardet, quod à natura artifices mutuati sunt, nec balneorum semper ebullientium alia reddi potest ratio, nisi quod bitumine intus ardeant, & aqua depascuntur, quæ continuæ sit causa ebullitionis. Bellica sæpe instrumenta huiusmodi compositionibus replentur, inde igneas quasdam emittunt pilas eminus, & dirumpũtur, quas sic parant: puluerem hunc obuoluunt stupa ac mixtura, quam diximus illinunt & implicant, & concauas machinas replent puluere, pilis, & mixtura vicissim inspersis igneq; admoto in hostiũ cõgressibus pilæ per aera proiiciuntur accensæ. Quod olei vicẽ expleat, & ardentius exuratur, immittunt aliqui suillum adipẽ, anserinũ, sulphur ignẽ non expertum,

tum,sulphureum oleum,& naphticũ,salnitrum sæpe purgatũ,ardentẽ aquam,terebinthinam resinam,liquidã picẽ,quam omnes Kitram vocant, vulgo dictam liquidam vernicem, vitellorum ouorum oleum,&aliquando vt molem his addat, & liquida inspisset omnia lauri scobem immiscent: iis vitreo vase occlusis,illud sub fimo condito, per menses duos vel tres, alternis semper denis diebus innouando fimum, & remiscendo, exemptæ inde cõpositioni,si ignem adieceris ardere non desinit, nisi tota fuerit absumpta, aquæ n.aspersione non restinguitur,imò accenditur: Veruntamen luto,terrę puluere, & omnino quibusuis aridis suffocatur, si cassidi, clypeo & armatis hominibus inieceris ignecandentes reddit,vt comburi cogantur,aut arma exuere.

Aliud trademus, quod valentioris est operationis,terebinthinæ resinæ,picis liquidæ, & vernicis, inde picis,thuris, & caphuræ pares portiones, viui sulphuris sesquitertium, salnitri purgati duplum, ardentis vero aquæ triplum & tantundẽ

napthici olei, sed salicis pollinis carbonum pusillum adiicias, hæc simul consiciantur, & in globulos effingito, vel ollulas reple: sic exurit, vt extinguere sit vanum. Alia inter has reperitur

Ignea mixtura, quam sol accendere potest.

Maxime autem feruens in meridie, & in præcipue illis regionibus vbi sol flagrat, vel sub caniculæ ortum, nec aliunde euenit, nisi accendibilium rerum compositione, hanc tamen sedulo parabis: qualis est, quæ ex his constat: Caphura paretur, inde viuis sulphuris terebinthinæ, præsinæ iuniperi, & vitellorum ouorum, oleum, pix liquida, colophonia in puluerem redacta, salnitrum, & omnium duplum ardentis aquæ arsenici, & tartari pusillum, hæc omnia bene tusa, & remixta, vitreo condas vase: quod per duos menses obrutum immorari oportet, fimum semper innouando, & remiscendo eodemque (vt docebimus) eliciatur aqua vase, hæc inspissetur, vel nostro puluere, vel stercore columbaceo, & tenuiter cribrato, vt strigmenti formam habeat,

beat, ligna delinito, vel aliqua combustibilia, & æstiuis Sole vtitur diebus. Hæc omnia Marco Graccho ascribuntur. Vim retinet comburendi maximam columbaceum stercus. Refert Galenus in Mysia, quæ est Asiæ pars, sic domum cõflagrasse. Erat proiectum columbaceum, in propinquo fenestram tangebat, vt iam contingeret eius ligna, quæ nuper illita resina fuerant, cui iam putri, & ex calefacto, & vaporem edenti, media æstate cũ Sol plurimus incidisset, accendit resinã, & fenestram, hinc fores alię resina quoq; illitæ, ignem concipere, & ad tectum vsq; submittere incipiunt: vbi autem à tecto semel est accensa flamma, celeriter in totam grassata est domum cum maximam habeat inflammandi vim. Præterea

Ignem, qui oleo extinguitur, & accenditur aqua,

Fieri si opus sit, ea sunt consideranda, quæ facilius in aqua ardent, vel in ea spõte accenduntur, vti caphura, & viua calx, vnde si cera, naptha, & sulphure mixtum composueris, ignemque concipiens, vbi

 ole-

oleum inieceris, vel cœnum extinguitur: reuiuiſcit enim, & maiorem concipit ignem infuſa aqua. Hac fiunt cõpoſitione faces, quæ fluminum traiectu, & pluuioſis locis non extinguũtur. Narrat Liuius, vetulas quaſdam in eorum ludis, accenſis facibus, ex his confectis, Tyberim tranaſſe, vt miraculum expectantibus, & cernentibus oſtentarent. Hinc pro itineribus fiunt

Faces, quæ ventis non extinguantur.

Quod è ſulphure euenit: difficulter enim extinguitur, vbi flammam concipit: vnde faces cera, & ſulphure viciſſim oblinitis, & confectis, ventis & tempeſtatibus innoxie feruntur.

Producendis autem exercitibus, vel neceſſariis rebus aliis, vtuntur tali. Earũ ellychnium ſalnitro ebulliunt, & aqua, & exiccatum ſulphure, & ardenti madefaciunt aqua, inde candelas hac efficiunt mixtura: conſtat enim ſulphure, inde caphuræ, & terebinthinæ reſinæ medietate colophoniæ duplo, ceræ autem triplo: quatuor efficiunt candelas, eas componunt

nunt simul, in medio autem viuum sulphur iniiciunt, & pertinacius omnibus resistit. Si candelam aliquam niue circũtexeris, vt pueri solent, & incendas, in niue flamma ardere videbitur. Sed vt facile accendatur.

Aqua ardens

Effici sic ritè poterit: Vetus, validum, & nigrum vinum habeas, inde intus viuam immitte calcem tartarum, sal viuũque sulphur, vitreis chymistarum organis (vt docebimus) aquam exugito, hæc mire ardet, nec ardere desierit, nisi tota cõsumetur, vel parum relinquat: si in patinam, vel aliud patétioris oris vas pones, & flammam admoueas, illico ignem arripit, si in murum proieceris, vel è fenestra noctu, innumeris scintillis, & igniculis accensum aerem videbis, id autem hic aduertito, si pluries distillabis minus ardere, id enim aceto contrarium aqua habet ardens. Si minus phlegmate redũdet vis, spongiam oleo madidam vasis ori in distillatione accommodato, phlegma autem penetrare non sinit, Si

Flam-

Flammam eminus proiicere.]

Quæsieris, id commode faciunt colophonia, thus, & succinum præcipue, nam si flammam concipit, in altum se tollit, eminus flammam emittens, si inter digitos candelam continebis; in palma autẽ pinsitum puluerem dumque proiicis euolet puluis per candelæ flammam. si optabis ab

Igne tueri aliquid, ne comburatur:

Ea considerato, quæ summę frigida, obstupent, & subtilia sunt, & ob substantię connexionem ab igne non vincuntur, vti amiantus lapis, quem plumeum alumen vocant, extincta calx, oui albumen, altheæ succus, hyoscyamus, psylli semen: hæc cum succis permiscentur, dum linimenti speciem assequantur, inde manus oblinito & illæsus ignẽ detinebis: non sic tamen, vt omnino tutus, & intrepidus pertractare possis, vel per ignem ambulare. Ex amianto lapide mappæ texuntur, & si sordidatæ igni proiiciuntur, candori pristino restituuntur. Inde autem si vis

Igni-

Ignitus totus videri:

Prædicta vbi te liniueris mixtura, resiccari curato, & tritum subtilissime sulphur inspergito, flammam admoueas, vbi ardere incipiet, ignitus videberis totus. Si minus commodum fuerit sulphur, ardentis aquæ irroratus aspergine, quam diximus ignem admoue, & aliquantulum sub ea tutus deges. Fitque

Puluis pyrius in bellicis instrumentis mira operans.

Si quis in vulgarem puluerem duodecimam argenti viui partem, marchesitæ tantundem, & colophoniæ, & rectè pertuderit, & permiscuerit, hoc puluere si bellica repleuerit instrumēta, vbi ignem admouerit, ingenti fragore dissilit machina, vt astantiū multos interimat. Contra autem si in pyrium hunc puluerem cōbusta papyrus immisceatur, vel quod idem explebit, vulgaris fœni seminis duplum, si optime trita immisceantur, validissimam vim retorquet, vt nec flammam nec strepitū tam validū emittat: tali puluere mira ingeniosus excōgitabat experimenta,

Qui

Qui fieri posset latex in tenebris refulgens.

Tu qui præauidus ad lectionem rerũ accedis, quas larga, eademque prodiga Natura humano vsui liberaliter fœneratur, abditas, & delitescentes, eumque curat tenebris innoxium reddere, quod nõ est profecto aspernabile, ex iis ingeniose require, quæ præstare possint, pleraque etenim habes, quæ in noctibus sensum feriunt, & cient, multa Aristoteles, multaq; passim experientia demonstrat: Ceu bestiolę, ex insectorum genere, quas Gręci πυγολαμπίδας, Latini nitedulas, siue cicindelas vocant. Sunt fungi, capita, & squamæ piscium, vti recentis trichiæ, & vulgo harengi dicti. Sic miluus, siue miluago, quod oculi noctu splendeant lucerna dicitur. Pectinum vngues in tenebris igne lucentes, & in ore mandẽtium. Sic leporum, & ælurorum oculi. Estque in Germaniæ saltu in Hercinia apparens volucris, eius lucent pennæ ignium modo, earumque splendore viatores, per innumeras illas solitudines itinerum dubios

bios

bios moderantur euentus. Sic de ſpondylis, pleriſq; oſtracodermorum generibus, vel ſuper eos inſidente muſco. Aglaophotidis marinæ, & terreſtris meminit Ælianus, tale nomen à ſplendore lucis inditum, aliaq; maris alumna animalia. Sæpe manibus marinam aquam exagitatam, igneis ſcintillis coruſcantem vidimus. Narrat Ioſephus vallem, in qua eſt locus Baraas, ex eodem radicis nomine dictus, igneo colore fulgurans. Sic nictegretũ, cuius valde miratus eſt Democritus. Iam quercus præaridi caudices, ſituq; marcidi, argenteo noctu ſplendore aſpectum mouent, & vulnerant. Carbunculus in tenebris rutilat, aerem circumſecus pro corporis modo illuminãdo: & multa ſunt quoq; noctu lucibilia, grauiſſimorũ authorum teſtimonio comprobata. At ſeries admonet doceamus inde hũmorẽ extrahere, ex quo latius diffuſiuſq; proficiſcatur lumen, & emanet, vt noctu videri poſſit. Iam infra pateſcit

Exemplum.

Nitedulæ igneo multum colore coruſcan-

ſcan-

ſcantes, inter omnia principatum obtinent. Nos earum caudam à corpore reſcindimus, præcauendo, ne alieni quippiam nitidis partibus immiſceatur, porphyretico lapide conterẽdo, dieb⁹ quindecim, vel pluſculis ſub fimo vitro cõdimus: fueritq; præſtantius ne latera cõtingant, ſed pendeant: iam elapſis diebus, furno, vel calentis aquæ balneo vaſe impoſito, & accommodato, paulatim luculentum, & ſtillatitium laticem ſubiecta paropſide recipias, ac pellucido cryſtallino orbe condito, ſic conclauis medio lucigena pendeat aqua, & aerem illuminabit, qui eſt circa illam, vt maiuſculæ literę noctu poſſint conſpectari: dummodo à nõ magis ſplendido illuſtretur, ſic enim illius penitus exiguũ lumen exoleſcit, vt interdiu videri nequeat. Cui congener, nec multum diſſimilis eſt aqua, ex dictorum piſcium ſquamis ſedulò extracta, quam ſæpe ſeparari vidimus, nec à prima fere dignoſcitur, eademq; in reliquis ſeparandi ratio iam patet, eiſq; vtimur in dicendis.

Multa

Multa literarum experimenta, variaq; scribendi latebra.

De clandestinis literarum notis, quas vulgus zipheras vocat duplicem statuunt normam, visibilium vnam, & per se dignum tractatu studium habet, delitescẽtium vero alteram: iam poscente hic loco, aliqua commentari censuimus, & quę hæc consequuntur, Magnatum & principum rebus consulentes, dũ absentia curant, & commenti illius gnaro conscribunt. Nos paucula oculis subiiciemus exempla, non ea tantum recensendo, q̃ quæ inde sunt euentura, & ii noscent, qui nonnihil addentes, coniungentes, vndiq; artificio contexta, & velata detegunt, ne in manus indocti, & gregarii peruenientia vilescant: tunc enim chariora, cum arcana, & fido clausa pectore diutius commorantur. Sed quæ iam sæpius peruulgata in medium afferenda duxerim, ad rem redeuntes, dicamus, quonam fiant pacto

Litera in tenebris conspicua,

Si quis furtiuo scripto rei conscio nouo

aftu

aſtu excogitata quæpiam nuntiare quæſierit, quæ tantum nocte intempeſta conſpici queant: prænarrato iā liquore graphice deſcribendo pagina ſaturetur, maxima adhibita ſedulitate, & ineffigiata interdiu apparebit. Si hoc minus fortaſſe tutum, magisque fuerit cordi

Literas lumine interpoſitas legere.

Hæc eſt ſcribendi inopinabilis latebra, nec vti cæteræ leuiter igni detegitur: Si colore corporeo albo ſcriptitaueris, vti ceruſſa liquido immixta gummi, vel conſimili, ſit chartæ concolor, neue aliquid ſit diſcerniculi, vel coniectari poſſit, tunc oculo, & lumini interiecta, ſideris vel candelæ, vbi deſcriptæ fuerint literæ, ocularibus radiis penetrari non ſinūt, ſic obſcuriuſculæ conſpiciuntur. Vel ſi velimus, vt

Literæ in nigro extemplo candicent,

Eſt & occultius mentis conceptum proferendi ratio: Luteum, ouique albumen valide exagitatum, inſtar ſcriptorii atramenti liqueſcat, huiuſmodi literas, vel lineamenta protrahe, iam exiccatis, colo-

colore atro papyrus superlinatur, & inquinetur: vbi vero literæ iam obrutæ liquescant velis, lato ferro, vel cultro leuiter eas erodendo, tenebricosum dilacerantes velum vti nebulas discutientes supra modum candore panduntur insigni. Sicque si

Literæ delitescentes conspiciantur & conspicuæ delitescant.

Optabis: potieris, si stillatitio calcanthi liquore vel ardenti aqua affusa donec solutum fatiscat: ac papyro literas duxeris: iam enim siccescentibus cælantur: porro cõbustam paleam ex aceto triturabis, & quæ sumus scripturi, in priorum interstitio versuum latè describito. Omphacitis inde galla albo vino decoquatur, spongiam madida, cũ cordi euenerit, leuiter expergificãdo, & super eas inducta atterẽdo, vernaculus nobis color ater obliteratus delitescit, pristinus vero inuisibilis refricatus nobis fiet cõspicuus. At

Literæ intercutaneæ, & indelebiles in membro quouis.

Appareant si velis: sic cito expedies: Can-

Cantharides naturalis diei curriculo valida aqua, vel tritius auri ſeparationis madeant, inde graphio, vel apto ſtylo, ſumma cute brachii vel alterius membri characteres effigiabis, læſa humore caro inflatas ſurgit in veſiculas, exulceratur, ſic acris veſtigia aquæ vi, albas cicatrices perpetuo emarginat æuo, & nunquam euaneſcentibus literis membrum inſignitur. Vel

Literas confeſtim loco quouis emergentes.

Nigras & coloritas efficies: ſi acceto, vel vrina, clanculum in manibus vel alibi literas exarabis cum exiccatæ fuerint: nec veſtigia apparent & vis eluceſcant, fuligine, vel colore, quem vbertim infectoriæ dant officinæ extricato, & nigricabunt valde, ſi eaſdem albas quæſieris, charta, ficulneo lacte delineato, exiccatas carbonis polline inſparſo confricato, & detergito. At reddere

Literas igne, vel aqua viſibiles

Sic poſſumus, & literas carminum intercapedinibus, & ſyllabarum coagmentis, & diſtantiis protrahere: Contineat epi-

epiſtola inane quippiam, vt incondite putet poſitas, & intercepte, aut nihil omnino, aut ægerrime ſentient. Si citrii, medici mali, cæpæ, & omnium fere acrium ſucco deſcripſeris, ſi igni inſeruеſcit, eorum acrimonia deteguntur illico. Maius aliquantulum ſubtilitatis habet, ſi alumine aqua diſſoluto, ſcripſeris, cumque lectioni accedis, aquæ immergendo, late euadent viſibiles & elegantes. Si vero candicent velis, & lacteas ſic facies: Lithargyris primo teritur & fictile aquam continens, cum aceto coniicitur, decoquitur, & decoctum per colum traiicito; ſerua, inde limonis ſucco citrigeri generis literas exarato: iam enim ſicceſcentibus abduntur, ſi ſeruato liquore immerſeris, lacteas & conſpicuas videbis: Si mulierum vbera, vel manus ea madeant, prædicto inſperſo liquore lacte reſudabunt: vtitor, ſi inops aliquando eorum fueris. Si quoque literæ hirci adipe lapidi fuerint inſcriptæ, lapidique occultæ prorſus, ſi lapis idem aceto demergatur prodeunt ilico, & quaſi ſculptæ foras

foras eminentes extabunt. Si autem absoluta aqua perscribendo, literas nigrescere iubes, vt nauius expeditiusque itineribus accingamur: Gallas & calcanthum subtiliter pinsito, inde puluerem chartæ inspergito, panno perfricato, rectéq; expoliātur, & vt sit chartę cōcolor, & pertinacius inhæreat, contuso iuniperi gummi, quod scriptoribus vernigo dicitur, addatur reliquis, cum vsu euenerit, aqua vel saliua scribito, & nigrescunt, iisque simillime eueniunt technę, quas perlongum esset recensere. At

Literas ouo inprimere

Africano sic placuit: Alumen ex aceto subtiliter multumque terito, & cortici quicquid velis, affigurabis, feruenti soli exiccato, muriæ vel acri aceto impone tribus vel quatuor diebus, resiccatum coquito, cumq; fuerit tostum cortice enudabis, & duro albumini scriptas literas reperies. Inde occurrit alterum: Cera circūlinito ouo, stylo literas exarando: fatiscētes rimas humore reple, ac aceto macerari sinito per diem, cū ceram sustuleris decor-

decorticato,& peruium corticem,& ouo impressas leges literarum figuras. Nunc lege quæ improbo excogitatu necessitas explorauit, vt

Literæ constitutis diebus deciduæ sint & euanescant.

Quantum humanum ingenium, dum naturę secreta pandit? Demersetur tenuis elimatus chalybs in separationis aquam, pondere iam triplicato, quibus liquidæ picis, vel terebinthinæ resinæ fuligo addatur, vt nigrior fiat, & dolium cooperies: porphyritæ multum teratur, scribe, & consenescentes decident. Hoc silentio prætereundum non putaui, quod maxime præcipuum & tanquam rei caput est, periculum frequenter facere: nam si diutius in charta commoratur, fortis aquæ plusculum suggeratur, & si fueris sedulus, subcrocea non remanebunt vestigia: hac indicii norma frui poteris.

Sic aliud consimile genus habebis, si sic mentiri satius fuerit: Chrysocolla, ammoniacus sal, & alumen æquali pondere certent inter se, tusa omnia fictili con-

dantur, & forte ex calce parato lixiuium, & faucibus excepturi vasis lineo panno obtento, colato: sic igitur parum ebulliat, attramento immisce, & vbi incolumes aliquantulum durabunt, iam flaccescente fiunt caducæ, ad vsum recondito. Sed literas, maculas, vel

Literas penitus abstergere

Si quæsieris: Calcanthi & salnitri aqua calamo supra literas delineato.

Vel è sale achali & sulphure, paruis conglobatis orbiculis perfrica, sic erodet, vt nec vestigium remaneat. Literas vero disco Lunæ obsessis nunciare, iam certiores facti conscribemus, Hæc enim raptim perscripsimus.

De conuiuijs & epulis mirè apparatis.

Hæc silentio prætereunda cogitaueram, ganeonibus & bibacibus, coquis & popinariis relinquenda, vt à re ipsa plurimum aliena, & inconuenientia, & defœcatioribus auribus non mittenda. Sed omnibus satis faciendi gratia apposuimus, aliquibus hæc reliquis gratiora, & iis similia fuerint, nec gulæ & genio indul-

sisse

fiſſe vnquam pœniteat: ſic ſummatim perſcribentes, ne longiori narratione legentium animos detineamus, ad ea noſter ſe conuertat ſermo, vt conuiuia frugalesque cœnæ lautiores apparu videantur. Et primo

Vini hauſtu nimio ne inebrietur accumbens.

Vel ſi cibo largius ſumpto corpori noxam ſentiet, ſic diſcutiet, vt Cato docet. Initio, ac cœnæ ſummo crudæ braſſicæ quatuor vel quinque cymata eſto, & crapulam ſedat, vini noxam reſtinguit, & reddet quaſi nil ederis, biberisque, adeo inter ſe perniciali diſſident odio, vt ſatæ alteram altera diſcordante natura fugiat. Inde Androcydes ſapientia clarus contra temulentiam valere iudicauit, & contra eam mandi præcepit. Nec omittam, quæ Neſtor in Alexicepo ſuo dixerit: Braſſicam enim Lycurgi lachrymam vocat: inquiens: Cum Bacchus eum reueritus mare ſubiiſſet, Lycurgum vito vinctum lachrymam emiſiſſe, & è lachryma natam eſſe dicit, & ob id contrarietatem inter vinum & Braſſicam eſſe. Idque euenire

tradit Aristoteles quod succum dulcem discutientemque obtineat. Vnde Plutarchus in sympoſiacis dulcia ait, si vino infundantur ebrietatem discutere. Euenit aliquando à capitis distillatione columellam in guttur laxari, tunc crudæ brassicæ ſuccus capiti impoſitus, vuam retrahit in ſublimem oris partem. Ineſt & crābes vino obſiſtendi vis: nam ſi vineto obſeritur, dilutius prouenier vinum: inde apud Ægyptios & Sybaritas ſolenne erat ante omnia crambem ſumere coctam. Aliqui id amethyſtino vaſculo facere conſueuere ante compotationē, quo impune vino indulgere poſſint, ex Atheneo.

At ſi aliter vini noxam inhibere voles, maxime dilutiuſculi, nam citius crapulam ſenſerint, quam qui meratius hauſerint. Si multum poturus eris, Africanus docet, in cibatu præmittas tres vel quatuor amaras amygdalas exiccantes, & humiditates abſumentes, vinolentiam propulſabunt. Narrat Plutarchus Cheronæus apud Druſum Tyberii Cæſaris filium medicum fuiſſe, qui cum bina ſe-

naue

naue amara amygdala esitaret, in comestura bibendo superabat omnes, qui iam deprehensus, iisque deinde priuatus decertare amplius nec pauxillum valuit. Nec incassum pumicis farina, si potor in bibendi certamine præsumat eam. Affert Theophrastus periclitari, nisi vniuerso potu impleatur. Sic Eudemum in vigesimas secundas vices durasse, demum balneum ingressum nil reiecisse, ac ita cœnitasse vti si non bibisset, vi absumente siccifica, & in cadum musti bullientem coniecta, statim in totum vini feruor sedatur.

Ad auerruncandum quoque meri exitium antiquitus in compotationibus corollis floreis redimita capita ferebant. Vnde Ouidius:

Ebrius in cinctis phylira conuiua capillis
Solet & imprudens vtitur arte meri.

Et Valerius Martialis:

Pinguescat nimio madidus mihi Canus amomo
Lassenturque rosis tempora sutilibus.

Rationemque dicunt, quod nimia frigiditate cranium frigescat, vt vinolentiam,

tiam, & eius vim extinguat. Vnde Dionysium legimus discumbentibus hedeream instituisse coronam, quæ insita frigidifica vi vini potentiam retunderet, nam ea contra grassantis ebrietatis impetum obsepit, calidum siquidem meri capitis poros patentiores reddit, frigidum enim sic contemperat, vt scandentes repercutiat vapores.

Est & altera priscorum patrum cura, vt crapulosa extinguantur, vt lactucis cœnæ fine vescerentur, cum insitam frigiditatem habeant maximam, nunc autem initio ea vtimur cœnæ ad conciliandum appetentiam. Vnde Martialis:

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Dioscorides tanquam acrepulam nuncupare videtur, quod ebrietatem prohibeat. Vini autem postquam meminimus, de eo enarrentur, quæ visa sunt, quomodo oporteat

Vinosos abstemios facere.

Multi enim sunt cum vinum liberalius hauriant, vt nil eis perniciosius sit, in mor-

morbos, & denique in mortem incidant: at eos aspernari & abhorrescere si voles, & Clitorius fons longe abest: Anguillas tres vel quatuor vino immersas finito dum emoriantur: ebrioso vinum admoueto, & pertædescet semperque oderit, nec amplius bibet, vel quam minime modestius degens.

Mullum quoque vino suffocatum (Athenæus memoriæ prodidit) si protinus à viro absumatur, Veneris impediendæ potestatem habere, si à muliere, nunquã eam concipere. Fortasse alio modo placebit, vt hæc amplius deguſtent, idq; docet Iarcas, vt in Apollonii vita demõstrat Philostratus: Obseruato vbi noctua niduletur, illius oua præripias, elixata infanti in commessatione præbeto, semper inde vina perosuro. *Sic è cæsa vite distillans* aqua, multum potata sobrium facit, vti Democritus docuit. Scire autem

Vinum an habeat ammixtam aquam.

Ex Democrito & Florentino condisces: Mala vel syluestria pyra vino immerge, si perfluitantia supernatauerint

meri indicium, si merguntur, iam diluti.

Ex Sotionis experimento: Paleam arundinem, vel sarmentosum aliquod oleo illitum in dolium immittunt, extrahunt, & si aliquæ hærent guttæ aquam habet.

In calcem fundito, si calces diffundet aqua mixtione defraudatum & conglutinans meracum est.

Sic in linteum si diffunditur: & præterea multa extant. Si vero mixtum displicuerit, ecce

A vino aquam segregandi modus:

Cissibium paratum habeas, id est, vas ex hedera tornetur, vel aliter conficiatur, vinum coniicies, & si qua mixta fuerit aqua breui tempore foras extillabit, quod contrarium antiquos omnes, & recentiores sensisse video: cui tum ratio, tum experientia reclamat: nam cum foraminulentum sit lignum, multisque interpateat rimulis, aqua humorum omnium subtilissima ex Aristotele foras effluet, quod corpulento magis referatur.

Est & alia segregandi ratio liciis vel peni-

penicillis ex gossipio vel lino dolio immersis, vt superemineant, ab eo aqua secernitur. Sic vino iniecta spongia & expressa, plus aquæ quam vini eijciet. Sic breui temporis processu

Vinum diuersè odoratum

Reddes: Ardenti aquæ immergantur simplicia, cuiusmodi odoris quæsieris vinum: nam aquæ natura odorem illico combibet, per colum traijcito, & defœcatum sinito vt considat, vino immisce, ab eo enim sapore non est dissimilis, & nimium perolentia relinquet. Nunc docetur

Aqua salsa quomodo reddatur potabilis.

Quod docet Aristoteles: Si enim vas cereum efformabimus vacuum, & in maris aquas immergimus, quæ per ceræ poros intro delabitur, fiet potabilis. Sic crudo fictili vase obstructo ore, quod enim intro permeat percolatum est, quod salsedinem facit per commixtionem, secernitur.

Fit aliter vberius & celerius: Sabulonem fluminum in salsam aquam immit-

tas, & paulisper immoraberis, & lineo panno subiecti vasis ori, obtento colatur, donec salsamentum amiserit omne & dulcescet: mnlta vti vilia sileant. Nunc autem dicemus vtrum potuerit videri

Anser iam viuus excoctus.

Sæpe enim lautis opiparisque mensis magnatibus apponuntur, sic inualuit gulæ luxus: cape conficiendi normam. Sit anas, vel anser, vel aliud viuacius animal, sed in hoc anser omnibus antestat, capite colloque relicto toto sit implumis corpore, sit hinc inde obuallatus igne, & circumseptus, non arcte, ne suffocetur fumo, neue igne torreatur citius, non large, ne impunis euadat: intus passim pocilla, & ollulas aquæ plenas, cui sal & mel adiicias, ibique lances elixatis malis sint plenæ, & tessalatim disco concisis, ipse totus liquaminè obductus & laridatus, vt esculentior sit, & facilius decoquatur ignem admoue, festinare nolito, vbi calore efferuere cœperit, circumambulando & fugiendo præsepit ignis & iter includit, sic improbus aquam absorbendo com-

pesci-

pescitur, cor, cæteraque membra refrigerando, medicamenti vi laxat aluum, abstergit & exinanitur: & vbi inferbuerit, interiora decoquet, spongia continuo cerebrum, & cor humectato: vbi vero insania ferri & cespitare conspexeris, deficit cordi humidum, remoue, conuiuis appone, euulsis semper partibus vociferantem, vt fere prius commessatus, quam mortuus videatur. Nec visu iniucunda

Murena eodem tempore frixa, elixa, tostaq;

Erit: primò panni atritu eam excruciatam veru infigas, & elixas & frixas quas vis partes, ter, quater lineis obuoluas linteolis, insperso in vino pipere, in elixo petroselino, croco, menta, fœniculo, & passo contusis, aqua & sale, vel iusculo madeant, frixas oleo, ad ignem volui iubebis, fasciculi aspergine origani semper humectando: vbi pars iam fuerit torrefacta remoue, & optimum erit obsonium, epulaturis præbeto.

Ouum vt hominis caput magnitudine superet.

Reddere tam ingens si vis, extat artificium,

cium, nec à naturali dignosci potest: Decem vel plura boleta, & albumina inuicem separabis, boleta leuiter commisceto, & in vesicam immittito, rotundamque ligando imitaberis figuram, in ollam aquæ plenam immittas, & cum bullis intumescere cernis, vel, cum duritiem traxerint, exime, & albumina addito accõmodando, vt in medio insideant, & iterum coqui sinas sic corticibus enudatum habebis, quas sic effinges: Ouorum cortices albas & elotas conteres, vt in tenuissimum puluisculum volent, forti aceto, vel distillato emacerari sinito, dum mollescant: nam si ouum in aceto diutius fuerit appositum, cortex eius dissoluitur, & tenerescit, vt facile per strictum os phialæ possit immitti, vbi fuerit intromissum clara aqua in pristinam redit duritiem, vt demirari contingat. Cortices cùm vnguenti formam præ se tulerint dissolutæ penicillo aliquo, super excoctum ouum corticem inducas, & clara durescit aqua, tunc verum, & naturale habebis ouum. Si vis autem vt

Pisces

Pisces charta frigantur.

Ex charta simplici frixiorum vas efformato; ibi oleum & pisces ardentibus prunis, quibus flammæ desint, imponantur, & citius, & commodius expediet. Nec superpondij modo addere pigeat, quod fortasse scisse non obfuerit. Si vis dissecta caro iterum coalescat: Symphyti, quod vulgo consolida maior dicitur, radices, quæ foris nigræ sunt, intus candidæ, & glutinosæ, vna cum concisis carnibus ipsis coquantur, & celerrimè coniungentur, vt incisuræ nõ videantur. Nec inferior vis petrea simphyto inest, quod summè glutinet, sic quoque de holosteo fertur. Si chalybis frustulum iniiciatur ignitum in deplumatum, & exinanitum pullum & tegatur, ne calor euanescat, & si tetro inficit odore, esui tamen bonum erit.

Sic pipionem exossum reddes. Si exenteratum acri acero per naturalẽ diem sines, bene lotum, & aromatibus repletum, elixabis, vel assabis, sic eis caret, ossa vt simul mandi possint.

Sic oua viuæ calci obruta, aqua experſa decoquuntur.

Si friabilem gallum, vel tenerum exoptabis: Iugulatus penſilis adhæreat ficus ramo, & maximam accipiet teneritudinem, quod Ariſtionis coquus dum Herculi immolatum gallum, qui fico pependerat, inter epulas attuliſſet, admiratus Ariſtio citam teneritatem, è durioribus periculum cœpit, & verum reperit. Liræ chordæ minutatim conciſæ, nuper excoctæ carni reiectæ, vermiculari videbuntur. Et leporis excoctum, & congelatum ſanguinem in pulueren verſum ſuper carnem inſpargendo, ſanguinoſa videbitur caro, vt nauſeabundus eiicias: & multa, quæ guloſis relinquimus. Sat ſit tantum debacchatum eſſe.

De Mechanicis quibuſdam experimentis.

Quædam extant non ſpernendæ ſubtilitatis experimenta, ab omni mixturæ additamento ſecreta, quæ non iniucunda fore putauimus ingenioſis, & artificibus, vt omne liber hic ſuboleat. Extat & artificium, quod aliquibus

Draco

Draco volans,

Vel Cometæ ſidus dicitur, cuius talis ſit conſtructio: E ſubtilioribus arundinũ praxillis quadrangulum conſtituatur, vt lõgitudo latitudini hemioliæ ſit proportionis, diametri duo & ex oppoſitis partibus vel angulis immittuntur, quarum interſecationę funiculus illigetur, & eiuſdem quantitatis, cum duobus aliis iungatur, è capitibus machinæ prouenientibus: ſic papyro, vel ſubtili lino obtegatur, ne quod graue in ea ſit: inde è turris mõtis, vel altioris loci faſtigio, æqualibus & vniformibus ventis credenda, non validis ne diſrumpatur machina, nec leuibus ſi vndique ſilebit aura; nam eam non ſublimat, ventorumque ſegnicies irritum faciat laborem: ipſa recto non incedat tramite, ſed oblique, quod efficit funis tractus è capite vno ex altero longæ cauda, quam è reſtibus effinges æquidiſtantibus, & papyris paſſim religatis, ſic leui tractu immiſſa, artificis manibus cõmittenda, qui nec ſegniter, nec oſcitanter, ſed valide impellat: & ſic volitans car-

carbasus aëra petit, vbi paululum fuerit eleuatum (hic enim ex domorum anfractu disruptus est ventus) vt vix manibus compesci, vel retineri queat. Laternam aliqui supra locant vt cometa videatur. Sclopum alii charta & pyrio puluere inuolutum, & cum in aëre quiescit, immittitur per restim accensus funiculus, anulo, vel lubrico aliquo, statimque velum petens, ignem ori admouet, maximoque tonitru, in plures machina dissilit partes, & ad terram procumbit. Ælurum aliqui, vel catulum ligant, ac per aëra immissas auscultant voces. Hinc auspicari poterit ingeniosus principia, quonam pacto, & homo volare possit, ingentibus alis cubito, & pectori deligatis, eas autem à pueritia paulatim iactare assuescat, loco semper sublimiori. Quod si quispiam id mirum putauerit, aspiciat ea, quæ Archytam Pythagoricum commentum esse, atque fecisse traditur: plerique enim nobilium Græcorum, & Fauorinus Philosophus memoriarum veterum exequentissimus, affirmatissime scripserunt, simula-
chrum

chrum columbæ è ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum volasse, ita erat scilicet libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa, atque occulta concitum. Sic facere possumus, vt

Ouum in aere ascendat.

Oui corticem vacuum rore complemus, & Maio mense eum accipimus: (alio enim tempore, vt æstate & autumno, verus ros non est, vt physicis constat rationibus) & in meridie Soli oppones, & ab eo eleuabitur, & si difficilis aliquando fuerit ascensus, baculi, vel tabulæ adminiculo, dum ascendere incipiat, facilius eleuabitur. Altera quoque remanet ludicra subtilitas, vt tres

Schedulæ non tactæ situm permutent.

Quod illud penitus ignoranti, fieri non potest, quin mirabile videatur: Tres fiant schedulæ longiusculæ è papyro vel linteis; seque mutuo æquali superent lõgitudine: nam capite vno æquatæ omnes, & æque reuolutæ, deuoluuntur, diuersique situs reperiuntur, longior in medio,

vel

vel primo loco, si longior eadem in postremo fuerit loco, immobiles remanent, quod non est, qui non putet, à dæmonib. factum, sed aliunde non euenit, nisi quia in reuolutionis fine remanet procerior, & extrema, à qua exoritur in reuoluendo remanent. Quorundam fuit error, qui verborum vi euenire putabant, ac de interrogatis omnibus, tanquam de oraculo responsa prębebant, nam si situm permutabant, ritè auspicari, effectusque propitiari, sin minus infortunari : nec voluere rationibus, & experientiis fidem permutare, cum habitum in credendo effecerint. Est quoque artificium aliud, vt

Candela ardens sub aqua deferatur,

Talique paratur arte : Longum habeto vas, & capacitatis non incommodæ, ori lignum applicetur, quo ardens candela insideat immobilis, & inuerso vase lumen fundum feriat, sic totum aquis penitus immergas nec subintrabit aqua, cum aere repleatur, & sub aquis ardebit multum, secundum vasis capacitatem.

Nec

Nec admirationis minus extat, experimentum, cum voles, vt

Vas inuersum aquam hauriat.

Quod sic efficies: Longissimi colli paretur vas, & quo longius, eo mirabilius, vitreum verò & pellucidum, vt ascendẽtem inspicias aquam, hoc bullientis aquæ expleatur, & vbi totum efferbuerit, vel igni fundum admoueto illico, ne frigescat, inuerso ore aquam tangat, & intro totam absorbeat.

Sic naturæ rerum exploratores Solis radiis aquam hauriri, & absorberi aiunt, è terræ concauis locis in montibus, vnde fontanea efficitur scaturigo: nec læuia insurgunt hinc artificia in spiritalibus mechanicis, vt tradit Hieron. sed vti ab hoc proposito aliena, alio transferatur. Simile quoque à Victruuio de ventrorum ortu affertur, nunc vero in domesticum peragrauit vsum. Sic enim

Vas ventum proiiciens

Confici potest, si fiat æolipila ærea, vel rei alterius, sit caua, & rotunda, & in ventre punctum habeat angustissimum, quo

aqua

aqua infunditur,& si fors arduum fuerit, priori vtere experimento, si ad ignem accedens inferuescit, cumque nullum habeat spiramentum, maximum inde eiicit spiritum, sed vapidæ crassitudinis humectum. Nunc ad alia transire nobis liceat.

Funis si manibus conuoluatur, vt se inuicem secet, leui brachii tractu rumpitur,& absque eo difficile.

Sic pugno later erectus percussus aliquantulum, vel marmor, in plures dissilit partes, nec minus, ex fluminum volutationibus attriti,& rotũdi lapides rumpuntur. Et leui secatur pomum ictu, si cultrum capite percusseris, illudque parum secet.

Si in hordeo inuestigaueris, syluestris auenæ aristulam reperies nigram, & obtortam, locustæ pedibus similem, si eam paginæ cum cera ligaueris, mollisque aquæ aspergine disseminaueris guttulas, vbi humidum senserit distorquebitur, vt liræ neruus,& erigitur charta, nec minus nummus styli acie volitabit.

De mulierum Cosmetica.

In-

Inter cetera circumferuntur, & experiuntur maxime experimenta, quæ mulie-bribus dehonestamentis, & speciei conferunt, multumque referre aiunt, nos, ne alibi quærantur, hic scribere decreuimus. Primo autem

Capillos tingere.

Docemus flauos, nigros, aureos, cuiusq; placuerit coloris. Flauos enim reddes multum mellis oleo, & vitellorum ouorum. Nec minus lixiuio è sarmentitio cinere, hordei palea, liquiritio corticibus, rasura, & buxi frondibus, croco & cumino, si sæpius capillos laueris maxime flauescent, aurique colorem imitabuntur. Nigricabunt valde corticum ficus, gallæ, elates rubi, cupressi, & similium lixiuio. Hoc tamen commode tinges modo, barbã, & capillos, si cui canescunt: Argentea spuma, combustum æs, fortis lixiuii quadruplo permiscetur, dumque leuibus prunis in bullas erumpit, lauabis, & resiccatos calida perlues aqua.

Sic nigrescunt supercilia: Frigantur oleo gallæ, eas salis ammoniaci pusillo tri-

tabis,

tabis, inde aceto immiſcebis, quo rubi, & mori cortices ebullierint, illinantur ſupercilia, & per noctem immoraberis, inde ex aqua eleuabis. At quia ſæpe accidit, vel locus pilorum multitudine deturpetur, vel glaber fiat, talia excipias

Pſilothra,

Quibus perlitus locus glabreſcit illico, & diutiſſime partes omnes pube immunes ſeruari poſsũt. Si vulgari decocto perunxeris, viuæ calcis, auripigmenti tertio, fortiq; lixiuio, & dum coquitur, pluma experimentum capias. Columella vero iubet ranam luridam in aquã coquere, vſq; dum ad tertiam partem decoxeris, eaq; corpus vngere, ſi quod glabrum facere voles. Sunt & infinita, vti hederæ, & vitium lachryma, quæ veluti gummi eſt, & pſilothri effectum habent. Sed illud vt commodum ſatisfaciet.

Et ſi nunquam rediuiuos quæris, glabras rite partes tali radicitus erues illitu: Vti formicarum ouorum, hyoſcyami ſucci, cicutæ & pſyllii ſeminis, veſpertilionis, & teſtudinis ſanguinis. Alii aurea bractea

ctea ignita locum impuberibus percurrunt, vt ne vestigium remaneat, nec amplius lanuginosum appareat. At

Pilos cito nasci

Si velis: combustarum apium cinis, cum soricis stercore, si rosaceo illeueris oleo, nascentur & in manus palma, quibus & addere rite poteris auellanæ, castaneæ, dactylorum, & reliquorum fabilium cinerem: ex omnibus enim renascendi vis destruitur, vel prodeunt molliores. Vnde Augustus solitus erat crura suburere nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret. Si vero

Oculorum colorem permutare

Pueris velis, sic id assequeris: Putaminum coryli nucis cinere, ex oleo sinciput illinatur: puerorum albos oculos denigrari contingit, operatione iterata. Plæraque extant experimenta, albos, & glaucos oculos nigrefaciendi, & varios inducendi colores: sed hæc missa faciant, cum non tam leuiter egentes oculis periculum capiant, nec experientiæ, vti quæritur, respondeant. Nunc

Gena-

Genarum liuorem abstergere.

Sic poteris, præcipue mulieribus, tempore quo menstrua patiuntur: Locus illinatur cerussa, fabarum puluere, aceto immixto: Vel ouorum boletis melle mixtis, Quædam sunt quoque

Smegmata mulierum.

Quæ nitorem, & læuorem faciebus inducunt. Vti mica panis in caprinum lac serum iniecta, extillata inde aqua faciem penicillabis, mirum admodum ad eam dealbandam, & nitorem cuti conciliandum valet. Nec minus asininum candori confert, nam cutem erugat, polit, & molliculam facit. Ideo non temere Poppea Sabina Neronis vxor quingentas semper secum asinas ducebat, ac balnearum solio lacte illo corpus totum macerabat. Vbi sic inalbueris,

Roseum faciei colorem conciliare

Poteris sic leniter, & fucum facies, qui non detegitur, omnesque artificiosa simulatione deludes: nam clara aqua puniceas reddes genas, diu, multumq; perdurante colore, eoque rutilantior fuerit

locus,

locus, quo magis aqua laueris, & panno perfricaueris: Ex Cardamomo, vel quæ pharmacopolæ paradisi grana dicũt, cubebis, garyophyllis, brasili rasura, & ardẽti aqua sæpius extillata (vbi aliquantulum fuerint immorata, vel igni lento, vel putri fimo) aquam elicies, qua sæpe facies madeat dum operari incipit. Si diu vrticam ebullies aqua, sæpeque corpus laueris coloratum, & roseo colore insignitum reddet, si id diu continuabis.

Sic autem gingiuas, & labia tinges, alumen, coccos, brasili rasura triretur, aquaue perfusa omnia Soli exiccentur, iis madeat bombax, quo labia & gingiuas perfricabis. Si autem

Aqua ad faciem magonizandam,

Et accommodandam quæruntur, si fors fuerit res cordi, vt leuore splendeat, oui albumina coquantur & durescant, iis aquam extillabis, eritque vsui apta, sic rosmarini, fabæque florum & limonum succo.

Hæc autem aqua omnium præstantissima, solertiqne cura excogitata: Tal-

P cum

cum in minutiſſimum redigatur puluiſculum, ollæ indatur, & item coclearum multam immittes copiam, & operculato ne fugiant : nam alimento fraudatæ immiſſum vorant talcum, concoquunt, vbi omne voraſſe noueris cum teſtis tuſas vitreo accommodabis organo, aquam extillabis & ſeruabis ad faciem: Fæces noctu ſubdialibus locis ter opponito, ac denuo vaſi imponendo oleum accipies, quo nil præſtantius ad capillos fuerit. Sed

Furfures à facie abſtergere

Sic potuerunt mulieres : Vaccinum, hircinum, & caprinum fel cum vitri puluere immiſceantur, & mollis facies illinatur, & eam maxime purgat & faciem venuſtat : Draconteæ autem ſuccus maculas omnes emendat, præcipue ſi eis os dehoneſtatur. Aliqua nunc apponemns

Dentifricia.

Quæ optima parabantur antiquitus, ex purpurarum & buccinarum teſtis crematis, nunc autem cito poteris vti combuſti

busti panis micis, pumicis polline, corallis rubeis, sepiarum testis, ceruino cornu, & iis similibus, quorum vnumquodque rite expolit & abstergit. Sic cocci granulis, si purpura perfricabis. Omnium tamen optime sulphuris oleo, nam expolit, leuigat, & maculas propulsat omnes. Fit quoque aluminis & salis aqua extillata. Possumus &

Mamillarum incrementum prohibere,

Si volumus: Contundatur cicuta, eiusque magmata cum aceto virginum vberibus imponantur, & sic coercet, vt crescere non patiatur, præcipue hoc in virginitate, quanquam solito lac deneget tẽpore: Molles autem & relaxatas sic coerces: Alba argilla, oui albumen, omphacitis galla, mastiche, thus, tusa omnia calido aceto immisceantur, & illinantur mãmæ, & integra nocte commorare oportet, & finito illic esse: si parum fuerit efficax, opus innouato. Iuuant & ad hoc mesphili ossa immatura sorba, syluestria pruna, acacia & malicorium, balaustion, immaturæ nuces pineæ, syluestria pyra,

& plantago, si aceto ebulliantur omnia, & mammis apponantur, aut aliqua. Sic autem poteris

Ventris rugas à partu abstergere.

Diu aqua immatura coquantur sorba ouique immisceas alborem nec desit aqua, cui arabum gummi sit solutum, tali linteum pannum madeat aqua & ventri accommodetur: Vel combustum ceruinum cornu, amiantus lapis, ammoniacus sal, myrrha, olibanum, mastiche, in puluerem redacta omnia, cum melle permisceantur, & erugat omne.

Sed quærens Naturæ ostium restringere: ex partu enim relaxari solitum est, quod & si viro displicuerit, sic resarcies: Omphacites gallus tritato tenuissimè, quibus garyophyllorum pulueris parum admisceatur, vino ebulliant, quo pannum madeat, & loco applicetur.

Vel sic meretricium & popularium restringes & coarctabis: Gallis, gummi, alumine bolo, draconis sanguine, acacia, plantagine, hippocistide, balaustis, lentisco, symphyto maiori minorique, cupressi nuci-

nucibus, vuarum acinis, glandium costis, vel cauo illo quo glans prorumpit, & dehiscens nucleum ostendit, mastiche & lemnia terra. Si hæc omnia rubro vino vel aceto decocta sint, & sæpe madeat vulua, coarctatur & supprimitur valde. Vel hæc in puluerem redacta, intro per arundinem traiiciantur, vel iis suffimenta substituantur.

At si defloratam mulierem integræ virginitati restituere vis, tali pillulas constitues pacto: Alumen combustum, mastiche adiecto calcanthis & auripigmenti momento in tenuissimum redigantur puluisculum, vt fere tactum effugiat: pluuiali aqua pillulas vbi coegeris, digitis comprimito, & tenuem resiccari curato, ac naturalium ostio hymenæi loco accommodetur, vbi prius fuerit rupta, senis quibusve horis immutando pluuiali vel cisternina semper aqua fouendo, per naturalem id diem: & hinc inde vesiculas inducunt, quæ contactæ sanguinis inducunt profluuium, vt fere dignosci nequeat. Hirudine aliqui locum mordicus

capi curant. sic crustulas inducunt, & fricatæ sanguinem mouent, vbi prius prælatis arctauerint. Si aliquando tale hoc placuerit specimem, vt

Facies fucata pallescat,

Et dignoscere quæris magonizatam faciem, sic fiat: Crocum dentibus commanducabis, & ore propius mulieri inter alloquendum apposito, flatus deturpat faciem, & subcroceam reddit: si autem nullo fuerit circumlita fuco, innoxia remanet. Extat & alia

Aqua faciem denigrans,

Sæpeque mulieres fallit: Iuglandis calloso, herbidoq; putamine illo, quod guliocam dicunt, & gallis, chymistarum organis clarissima eliciatur aqua, qua si facies vel manus maduerint, nigrescunt paulatim, vt Æthiopes videantur, quod si abiicere & pristinæ albedini restituere vis: Acetum, limonis succum, & colophoniam extillabis, talisque lotura nigrum illud abiicit & propulsat.

De muliebribus quibusdam remedijs.

Quædam prædictis succedunt experimenta.

menta, expetibilia multum, cnm ſæpe accidant & vſu veniant, & ſi aliquibus inhoneſta & non ſcribenda videbuntur, late quærat medicorum libros, vt nil aliud fere tractent, id autem vtilitatis hoc affert caput, quod ſi ea dubia aliquibus videbuntur, hæc experientia ſelecta ſcripſimus, Primò autem

Venereis in caſtris militare

Si quis vult fortiter, tali muniatur cibo, præcipue bulbis: omnes enim Venerem ſtimulant. Vnde Martialis.

Cũ ſit anus coniux, cũ ſint tibi mortua membra:
Nil aliud bulbis, quam ſatur eſſe potes.

Columella item in hortulo:

Quæq; viros acuunt, armantq; puellas
Iam Megaris veniant gentilia ſemina bulbi.

Sic eruca large ſumpta, cicer, cæpæ, paſtinaca, aniſum, coriandrum, pinearum nucum nuclei, inter hos ſatyrion large mouet ſemen, & fortius venerea in re obſtat, & mulieribus libido acrius excitatur, veneriſque vrticæ ſunt. Sique nobis eſſet herba illa, quam Indus attulerat (cuius meminit Theophraſtus) vt non

solum edentibus, sed tangentibus iam genitalibus adeo vis increscere, vt valerent quoties coire vellent, & qui ea vsi fuerant duodecies perfecissent, illum autem ad septuagesimum coitum peruenisse affirmat, vt tãdem guttatim esset spermatis emissio, & in sanguinem deueniret. Vnde si ex omnibus vel aliquibus Venerem vis ciere, tali remedio vtere: Satyrij sumito radices, pineæque nucis nucleos, anisum & erucam, & æquali certent pondere, scincorum medietas, moschi parum, sic electo & despumato melle conficiantur, nec remouendum passerum cerebrum, ornoglossum, syluestris eruca, & iis similia. Si quis autem certando vellet mulieris semen mouere, coli glandem, moschi, & vulgo dicti zibeti, castorei, cubebarum, & olei ben aspergine irrigato, vel horum vnum: coeuntes enim large mouent. Vterque autem sic delectabitur, longum piper, piretrum, galanga contundantur, pulueris pusillum cum melle conficiatur, eoque vtantur. At

Vene-

Veneris desideria obtundere,

Contra sic poteris: Rutam commanducato & caphuram: destruit enim statum, quo erigitur virga: vt eunuchus vir euadat. Sic vitex inhibet Venerem, & si substernatur, bibatur vel manducetur semen desiccat. Vnde matronæ in Thermophoriis Atheniensium foliis iis cubitus sibi substernebant, nec minus lactuca, quibus continuo comeditur, coeundi adimit facultatem: ideo Pythagoras vocabat εὐνοῦχον, quod verborum inuolucris innuunt quoq; Poëtæ; Callimachus cecinit Adonidem, cum lactucam comedisset, ab apro interemptum, atque à Venere sub lactuca conditum, quod holere tali (Athenæus ait) Venus elanguescat, & impotentes viri ad cōcumbendum fiant.

Valet ad conceptionem leporis vterus, si mulier ederit, & ventri imposuerit: vbi vero conceperit ab his omnibus cauere debet, nam conceptum destruere possunt: Vti mentha naturalium hostio post coitum apposita: genitale enim semen corrumpit, & lacti apposita, nec

coalescere, nec cohibere facit etiam adiecto coagulo, imo si mammis accesserit, nec densari lac patitur. Crocum concipiendi vim maxime amolitur. Salicis decoctum si ieiunè bibatur, sterilem reddit, cum ocyssime salicta suum deperdat semen, vt in araneam prius abeat, quam maturitatem sentiat. Vnde Homerus frugiperdam appellat

Κλήτροις αἴγαροι καὶ ἴτεα ὠλεσικάρποι.

Sic mulæ vngulæ fumigium, vrina, sudor, aqua, qua ferrum extinguunt fabri, hæc omnia post menstruorũ profluuium. Sed inter hæc saltatio præualet, & præcipue obest ei, cum se nimium motitarit, post cum viro congressum, nam cum retinere nequeat genitale semen infusum, irritum foras prolabitur, & resilit, quod fortasse erat coalitum: Vti psaltria illa, quam narrat Hippocrates, quæ cum semen non conceptura retinere nollet, ne conceptio ignobiliorem redderet, ad terram dissiliens, ac genitura exacta ad terram eius defluebat semen.

Superstitiosi alii septenarii numeri

vir-

virtuti fortasse pythagorizantes, & occultæ proprietati adscripserunt: cum modo Hippocrates septies dixisset, id tamen falsum coarguitur, cum ocyus, & tardius defluat, quod si magis saltauerit, scito minus concepturam. Sabinæ succo hausto, ruta, scammonio pessu instar vuluæ indito, suffitus opoponacis, galbani, & viui sulphuris. Inter hęc nigro (quem vocant) sapone prolita gallinæ penna, vuluæ admota, nam illico abortum parit. Hæc omnia sunt maxime præcauenda, nam prægnantibus obesse solent.

De elichniis, eorumq́ præstigiis, & quomodo homines equinis, aliorumue animalium capitibus videantur.

Diu multumque cogitaui, vtrum antiquis arcana huiusmodi ignorarentur, an veritati responderint, quæ de eis dicuntur, & ab impostoribus promittuntur, nec parum gauisus sum, cum inter antiquos multos compererim, quibus hæc fuere curæ, præsertim Anaxilao, Plinianæ assertioni fidem adhibendo: nec parum in his inueniendis desudauimus ad

explendam noſtram hiſtoriam, nec ab re fuerit eorum commeminiſſe, & in medium afferre experientiæ accommodando: iis primo aſſueſcat operator, ad alia paulatim deueniens: doceanturque primo, quomodo videri poſſit omne, &

Coloratum cubiculum.

Sed maxime id perpendendum duco, luces omnes amouere, ne lumine illo impediatur, ſuperetur q́; è lampade color emanans, & fruſtretur illuſio, ſi die fuerit, claudantur feneſtræ, ne aliquod lumen irrumpens præſtigium deſtruat.

Viride autem ſic videbis: Sit viridis lampas, vitrea, & pellucida, vt pertranſeuntes radii medii colore inficiantur, & (quod in hoc plurimum conducit) oleo, vel omni, quo viuit humido, immiſceatur ærugo, vna rite terantur, vt humor fiat viridis, lichnus ex linteo coloris eiuſdem, vel è goſſipio paretur vncto, lampade in illa peruratur, oppoſitum feriens lumen, viride omne, & intuentium vultus oſtentat.

Nigrum autem omne, ſi videre deſidera-

derabis:atramentum immisce omni,fuliginem vel simile : melius autem è sepiis immissum atramentum , nam lucernis admotum,si accenditur atra lucet flamma. Sic Anaxilaum lusisse fertur,sæpe enim ex atramento sepiæ astantes æthiopes reddebat & nigros.

Flauum si teres omne, vti auripigmentum, crocum, lupinorum cortices & oleo permiscebis, & accendes in eo funiculum , flaua lampade, croceum, conspicies omne.

Viride partim, flauum partim, & nigrum si præoptabis, hæc in simul permisceto:vti quoque tradit Simeon Sethi, si quis thryallida,id est,lucernæ stupam, in sepiæ atramento,& æris ærugine intinxerit,homines circumstantes videri,partim æreos,partim nigros, propter mixtarum rerum inspersionem.At

Domum argenteam & luminosam videre

Si præoptabis, sic efficies : Nigris abscinde lacertis caudas, & stilla è fractura emanans lucida excipiatur,è multis amen plures adunabis, & papyraceum li-

cium vel ſparteum inficies, & ſi poteris oleo permiſceto, ſic argenteo colore omne videbis perfuſum. Idem in omnibus imitaberis.

De ſtanno, & eius medicinis primi ordinis,

Eſt plumbi ſpecies altera, & alba, quam ſtannum vocant, cum ab eo parum differat: vnde ſæpe in plumbum vertitur: & plumbum in ſtannum: perfectius tamen plumbo eſt metallum. Eſt & argenti æmulum, ſimulq; multum colore communicant hærentque: ſuapte natura ſtannum talem ſortitur colorem, vt alia maxime dealbet corpora, ſed frangit, & friabilia reddit, præter plumbum: quique artificio aliquo commiſcere callet, non minimum nanciſcitur opus. Pro viribus ergo argentum imitari conemur, quod facile præſtabitur, ſi quæ inficiunt, infirmitates aboleſcimus, ac funditus eruimus ſtridorem, videlicet, ſurditatem, liuorem, & molliciem: non enim prius ignitum liquatur, ſed igni adhæreſcens eximiè velox fluxum facit: has impingunt notas, nec in meditullio coniunctæ, ſed vti aduenti-

uenti-

nentitiis illud spoliare possumus, & primo docebimus:

Stanni stridorem tollere, & molliciem

Non desunt, qui id euenire tradant cineribus, calce, oleis & destillatis aquis, si colliquatum extinguitur, nec minus bullitionibus: at sic perfectius, & commodius expedies: Igne stannum postquã fuerit solutum, argentum viuum iniice, amoue, & in vitrea cucurbita accommodato, cui venter in orbem turgescat, & collum in longum porrigatur, atque curuetur, inferuescat igni, eiusque vis argentum viuum sublimet, & per vasis collum suspendatur, & descendat stillatim, vt prorsus absumatur, remanet in fundo stannum, hoc identidem ter, quaterque efficito, dum penitus, vti glacies, nullum exhibeat stridorem.

Sic vero aliter rectius expedies: In calcem redigito, vti docuimus, vt fugitiuam illam, & non fixam argenti viui substantiam deleat, vel sulphuris potius illius causam: & si primam & secundam post vicem non eueniet, vicissim tertio prose-

sequere: in corpus cum debitis reducens, voti fies compos, & sic durescit, vt prius igne candens videatur, quam soluatur: nam vehemens ignis viui argenti humidum consumit, quod facilem præbet fusionem, vt durius igne soluatur, & sic omnia possumus corpora mollia indurare vt igniantur, sed manifestius in stanno, quam in aliis metallis id experitur. *Si vis* autem

Stanno surditatem adimere:

Quia per se molle, est surdum: çedit enim percutienti, metallis vero reliquis associatum fit magis durum, & sonorum, sed hoc opus, hic labor erit: consortium enim peruicax omnium respuit, nisi plumbi, & omne reddit fragile. Sed tali perficies artificio: Forti aqna solutum fatiscat, sic argentum rite purgatum plumbo, aliudue, vna misceatur aquæ & leui igne vas inferuescat, & vi redundantis caloris in vapore soluta ad summa elata deuolet aqua, resiccatam extrahito, & in aliud transferatur, vas, forti denuo infusa tantisper aqua donec coniuncta, ac per mini-

minima complexata videantur: Vel vtrumque in aquam ex calce redigatur, & permisceatur: spirituum enim (vt aiunt) corporumque fit mixtio.

Si contingat ipsius lucem hebetari: Igne liquatum cyclamino demergatur: sic dulce, sonorum fungens, & optimum, quod vocant, habebis album. Commisceri quoque poterit argento, & aliis stannum per viuum argentum, quod aliquos sensisse video, & optimum parant pseudargyron: In liquatum cum viuo argento stannum immiscent argentum, & diutius igne detinent, detrahunt, & sic fragile in figulariæ cretæ pilam inuoluunt, & per diem sub igne detinent, vel calidis cineribus. Facile quoque

Stannum im plumbum vertere

Quisque poterit, si sæpius in calcem reducet, & præcipue, si conuenientem inductione illi adhibuerit ignem: stridorem enim amittens, facile in plumbum vertitur.

De auro, & argento, eorumque medicinis primi ordinis.

Nemo

Nemo est, qui auro iis operetur, cum nobilissimum sit metallum, sed omnibus illud imitari conantur, cum raro quoque antiquitus misceretur: vnde si de eo medicinas aliquas apponerem, non nisi dicta repeterem, argento tamen sic illud imitari conabimur. Et

Argentum in aurum tingere

Dabitur sic facultas: Lixiuium primo tale parabis acre: Calx immittatur in ol'ā, cuius fundum crebris foraminibus sit solutum, tenuibusque: peruium supra lignum, vel tegulam accommodabis: inde puluerem, & aquam paulatim infunde calidam, ac per arcta fundi foramina in subiectam fideliam mundam defluat, ac iterabis, vt acerrimum fiat, in hoc tritum immittas stibium, vt in tenues auras euolare possit, ocioso igni ebullire sinas: nā vbi inferbuerit, purpurascet aqua: tūc per lineam laciniam, in purum vas exprimito, in residentes pulueres denuo lixiuium immittas, & in prunas sufferuefacias tantisper, donec non amplius cruentata videatur aqua, coloratum lixiuium con-

conferuefacito subiectis ignibus, donec euanuerit aqua, residentem verò resiccatum puluerem, cum tartari oleo desiccato, & dissoluto, & ex auri, & argenti ponderibus æquis lamellis fictili fusorio vase vicissim inspergito, carbonibus celato tantisper, & opus innouato, donec perfecti coloris prærogatiua aurum æmulari videbitur. Ære combusto, sic aureum colorem effinges: si ex calcantho, salnitro, alumine, cinnabari, & ærugine fortem facies aquam, ac solutum fatiscat in ea combustum æs, in corpus reducendo, aurei coloris multum retinebit: Fit quoque cyano sæpius argentum inspargendo, & ignibus committendo.

De viuo argento, & eius medicinis primi ordinis.

Iam Hydrargyri operationes aggredi non intempestiuum videtur, & illius congelationes minimas, quod incongelabile putaueram, veras autem posterius: nunc, quæ aliquibus factitari non inutiliter solent, cupientibus aperiemus, & primo

Argen-

Argenti viui congelatio cum odore

Metallorum, & præcipue plumbi, & nunc eo efficere libet: Purgetur plumbum, & à scoriis separetur, liquatum in foueam proiicito, vbi iam frigescere incipiet, ligni præfixa cuspide, & detracta, fluidum immittito argentum, & congelatur, pila tundito, & multoties reiterabis, vbi durum iam habes, sæpius colliquato, & in claram aquam immerso, tandiu opus iterabis, donec durum, & sub malleo ductile habes, nec tamen inutile fore censeas. Fit & alia

Argenti viui congelatio cum casside ferrea,

Vel patina, proiiciendo cum eo aquam, qua fabri ignitum extinguunt ferrum, ac illo duplum immittatur ammoniaci salis, calcanthi, & æruginis: vehementique igne sinas ebullire, ferrea semper spatula versando, & si absumitur bullitione aqua, calida paretur alia, & proiiciatur, ne sinat ebullire: sic diei quadrante congelatum habes, inde linteo fisco, vel corio stricte manibus congelatum exugito, vt exudet quantumlumcunque habet,

habet, expressum denuo congeletur, dum omne perficiatur, sic in prælotum fictile dimittatur cum fontana aqua detractis, quod pessum ierant sordibus, in eandem fideliam misceto, & confundito, donec lotum, & clarum habeas, sub dio tribus noctibus apponito, & in testæ duritiem crassescit. Illud autem

Argentum viuum congelatum in aurum tingere

Si vis, & pulchre: Infractis particulatim partibus, cum cadmiæ terræ puluerібus alternis fusorium vas, & testaceum compleas, quibus mixtura mediet, è schidiis, & passis vuis, & cyperi radice Indica illa, quam officinæ Curcumam dicũt, contusis, & inuolutis: expletum vas luto circumlinies, & Soli exiccabis, vel igni, vt Solis vicem penset, sic igni appones, vt ferueat horis sex, & incandescat, inde vi folium profletur, & maxime vexetur, vt fluxum faciat, & vbi fluxerit, frigescat carbonibus tumulatum, sic aurum coloratum, & splendidissimum reperies. Et aliter

Argen-

Argentum viuum cum æneis pilis

Fixum reddere possumus, & congelare: Aerea duo hemisphæria fabricemus, vt se inuicem penetrent, ne expirare possint: intus viuum argentum cum cryſtallini arſenici æquali portione, & tartari rite contuſorum & cribro ſuccretorum immittantur, luto foras commiſſuræ perlinantur, ne reſpirent: ſic reſiccescant, & carbonibus exaggerabis: & obrues quarta diei parte, poſtremo incandeſcat totum, inde extrahes, & aperias, & totum ænei vaſis concauo coalitum inhæreſcere videbis, malleo percuſſum decidet, liquato, & proiicito, & optimum dabit argenti colorem difficileque ab eo ſecernitur. Si æri immiſcere placet, cum eliquato æris triplo immiſceas, & ſine argento optimum oſtendet album, dulce, & malleabile.

Vel aliter: Fictili ollæ æneum operculum imponatur, ac accenſo igne mire viuum argentum in operculo congeſtum reperies, & mirabilius congelabitur: alii & ferro, chalybe, argento, ac denique

auro

auro conficiunt, diuersisque vtuntur modis, in aliquibus vtile fuerit sciisse, nec meminisse obfuerit. Fit &

Argenti viui congelatio cum oleo

Alia, & sic factitatam à multis reperio, retinet tamen aliquid, & ingeniosa est valde: Ex argento, rubro arsenico, & aurichalco vas efformetur in sciphi speciem, quod rite operculum cooperiat, ne respiret, viuo argento reple, & iuncturæ luto muniantur aliquo, oui albumine, vel resina pini, vt fit, & in ollam suspendatur lini oleo plenam, & naturalis diei medietate sinas ebullire, extrahe, & exemptum curio, vel stramine exprimito, & si quid incongelatum fuerit, opus iterato, & coagulari cogito. Si vas tarde coagularet, quantum ponderis amisisse vides, ex aurichalcho, & arsenico rependas, è pondere enim dignoscere non possumus, & vtere. Iam poscit ordo fixationes aliquas apponere, cum semper coagulationibus subsequantur, quæ plus aliquando, minusue retinent partium, Vnde

Argen-

Argenti viui coagulati fixatio.

Hæc ſic procedit, nec abſque ratione: Teſtaceum vas, quod igni reſiſtat, parato, cuius fundo ſambuci radicum raſuram ſubſternas, manibus calcando & accommodando, aliud deinde ſternito pauimentum è cryſtallino vitro, pila tuſo, & per incerniculum traiecto & ſubtiliſſimo: inde piperis, zinziberis, & cinnamomi aliud, malagma illud, vel congelatum argentum viuum imponas, inde vas reple pulueribus eiſdem ordine præpoſtero, operculum imponito, ac luto munito, Solique interdiu credendum: vt ad candorem reducatur. Sic vas inuertas, & leuibus ſubiectis prunis ſupra primum incandeſcat, per horam, inferius poſtea & colliquetur, & purum reperies argentum: ſi quid remanet alienum, omne non congelatum euolat, & ex omnibus, quas videre contingit, & experiri, fœliciſſima hæc ſucceſſit, omnibus vti poteris: vel in corpus illud fixat, quo fuerit congelatum.

Eſt & alia argenti viui fixatio, non vtilitate

litate inferior, & vti poteris, ſi placuerit: Salnitrum & tartarum triturentur, & in pollinem redigantur: igne intus admoto, flammam erigens, comburitur, remanẽs in aquam vertatur, & leui flamma euolet humidum, & ſal remanens cum chryſocollæ factitiæ combuſtæ (comburitur enim vt albumen) triplo permiſceatur, ſalis achali duplo, hoc congelatum inuolue vaſe duro, ignis ſupra admoueatur, inde circum, tandem inferius ſenis quibuſue horis, & partes retinet congelati aliquas.

De medicinis ſecundi ordinis.

Dicemus nunc medii ordinis medicinas, illæ enim nobis dicuntur, quæ ſuper diminuta aliqua proiectæ corpora, alterant ſic corpus, vt parum ab omni abſint complemento, minimiſq; diuerſificantur differentiis, nec vltimis expoſitæ obſtant examinibus, ſic primi ordinis medicinas ſuperantes, vt à maioris ordinis medicinis ſuperantur, parumque deficit, vt ad eas tranſeant. Sed quia difficillimæ ſunt, & difficulter reperiuntur, nos pau-

culas probauimus, & appoſuimus. Et primo

Argentum in aurum tingere.

Docetur, & tinctura tam completa, vt vere credatur aurum: Ex argenti elimata ſcobe, cum argenti viui triplo igni malagma confice, ac vitreo in vaſe carbonibus inferueſcat, dum illud argenti viui euolet, quo argentum ſuperatur, inde ſal ammoniacus & viuum ſulphur æquali argenti pondere triturentur, ac vitreo in vaſe aliquo duas horas flagrantibus prunis immoretur, dum eius vis ſalem ammoniacum, ſulphur, inde viuum argentum ſublimet, & vaſis collo inhæreat, vas frange, & argentum aureo colore inſignitum, ſuique ponderis vel maioris ſeruato, talemq; illico parato aquam: Romanum chalcantũ, cum duplo rubei, cyprii chalcanthi ſtillatitii, quod vocant coparoſſam, & optima ſit, nam hinc omne dependet: ſic ſalnitri triplo, æruginis parte tertia, ac cinnabaris ſexta, & vitreis organis aquam ſtillatim exigito, cuius partes duę cum ſeruato argẽto per naturalem diem lento

lento igni bulliant, inde aucto destillationis igne, aqua omnis euaporet, & quod in fundo remanet, cum chrysocollæ calce testaceo in vase fusorio accommodetur, ore operto, & luto obstructo, colliquationis ignem adhibeto, & habebis: lutescit enim argentum, maxime colore nunquam cariturum, vel eum permutaturum, vt examinibus omnibus auri expositum, coloris parum, vel nil amittat.

Sic aliter colorem auri æmulabitur perfecte, & peculiose: Meminisse iam debes è stibio confecti æris vsti, id cum argenti medietate colliquatum, perfectum auri dabit colorem, vt videri possit. Si auro commisces, meliorem dabit, vt aliquorum patiatur examen.

Aliter quoq; fit optimè. Si argenti viui congelationem, quam cum casside diximus, tertiæ argenti parti remiscebis, argentum aureo colore insignitum reperies, cũ æquali auri portione colliquabis, in ollã impones, & per acre acetum fundas, ac per diei quadrantẽ ebullire sinas,

& colore augebitur magis, hoc autem extremo impones auri examini, ex communi ſcilicet ſale,& laterum puluere, addito tamen chalcantho, aurumque ſic purgatum accipies & examinibus obſtat omnibus, ac non ſolum in ſecundum, ſed in tertium migrat ordinem.

De medicinis tertii ordinis.

Iam tertii ordinis medicinas aggredi oportunum fuerit: ſiquidem ſcio multū animos ab huiuſmodi lectione detinuiſſe, cum à libri initio nil aliud concupierint, ſic pecuniæ luxus irrepit. Nunc profundiora naturæ myſteria panduntur, apud eos tamen, qui nummos exoptant, ſi fere aliquis eſt, qui eos non depereat. Et ſi alias ab antiquis tertii ordinis medicinas tradidimus, cum nobis non ſit eorū copia, in aliud tempus fortaſſe differre cenſuimus. Multi ſunt, qui multa periclitauere experimenta; quorum ea, quæ lucroſiora & expeditiora ſunt, trademus. Et ex iis primo

Cinnabarim fixum reddere.

Qui id facere quæſierit, ita faciundum

eſſe

esse censeo: Cinnabaris confractæ partes ad magnitudinem iuglandium vitreo in vase capacitatis eiusdem argenti pondere iam triplicato, vel maiori disseminatas condito, & vicissim insparsas, luto munias, & resiccari finito, sin minus in Solem, vt repetas oportebit, inde cineribus immersum tandiu lento igni decoquas, quousque infractum plumbeo colore liuescit, quod si nec quidem, iugem operá impendas, dum ad id peruenerit: inde plumbi duplo eluas, ac elotum examinibus omnibus expositum, pertinacius obstabit, maioris ponderis & virtutis: & quo leuiori vteris igne, tanto facilius res peragetur.

Sic vero animatur argentum & amissum resarcietur: Sublimato viuo argento ex aceto, distillato bulliat, inde viuum argentum remiscebis, & vitreo recuruo vase viuum argentum in ignem inferuefacto deuolet, & in receptaculum dilabatur, & seruetur: ponderis (si sapis) parum amisisse comperies.

Aliter sic, & citius, & lucrosius facies:

Infractas cinnaberis partes ad tesserarũ magnitudinem in oblongum linteum sacculum accommodabis, ollæ lateribus vndique distantem, inde lixiuium per acerrimum fundat ex alumine, tartari duplo, viuæ calcis quadruplo, & cineris roboris æquali portione confectum, vti fieri solet, vel ratione aliqua parandum: per diem ebullire sinas, exime, & ebulliat cum oleo, iugem operam impendas, & integram cum nocte diem finito quoq; illic esse, & exemptas ex oleo cinnabaris partes, oui albumine subacto perlinito, ac in tertia parte elimatæ argenti scobis reuoluto, in fundo apti vasis substernito, rite figularia creta munitum, vt diximus, ignem adhibe diebus tribus, & tam postremo augescat, vt igni cedat, & fere liquescat, detrahe, & ex fæcibus extremo argenti examine perluito, & ad verum, & naturale deducito.

Sic & aliter fixum reddere possumus: Si testaceo in vase rotundo vndiq; clauso, vbi exili spiramento cinnabarim immiseris, glutino ex oui albore parato illi-

nas,

nas, ne vis ignis carbunculet, igni accõmodato, paulatim vigorando, vel lignorum serratura, quousq; eundem contraxisse colorem cernes: ne festines, opus enim omne corrumpit, & sæpe à Philosophis præceptum nosces: sed hoc ministerium quærit maius. Nec aliter inutiliter fixum redditur, vsto ære in sparso fictili in olla, prius tamen chalcantho disseminato, & calce expleta pertinaci muniatur luto, & triduo vitriariorum fornaci relinquatur, detrahe, & argentum æs retinebit, si recte hæc animaduertes, nõ parum nancisceris lucri: omnibus enim antestat, qui tali parantur arte, facultate & fructu: nec pauca dixisse pœniteat. Id autem ingeniosorum reperit diligentia, vnius pharmacopolæ exemplo, qui cum cinnabarim conficere quæreret: in argentum casu optime versum inuenit. Vtilius fixum redditur, si cinnaberis arte conficitur, sulphure non tam adustibili, ac maiori parte.

Erit quoque voluptuosum, si cui placuerit, è fixo cinnabari argenteam barbã

elicere: Si vaſe eodem accommodabis, igne ſolum inferius lente admoto argentum adhuc ſpirituoſum, nec plumbum expertum, vti ſylua erectum cernes capillamentum, vt nil fuerit viſu iucundius. Quæritur & apud Chymiſtas, non cinnabarim ſolum fixum reddere, ſed

Aurum ex argento extrahere.

Nec tam parum, quin ſumptibus reficiens, multum non ſuperlucreris, hæc eſt eius conficiendi norma: Tenuis elimata ferri ſcops in fuſoriũ vas, & durum igni tamdiu incandeſcat, dum ſoluatur: inde factitiam chryſocollam, qua auri ferrumini vtuntur aurifices, & rubeum arſenicum paulatim inſpargito, & poſtquam inſperſeris, æquali argenti pondere iniecto, exquiſite purgetur, vaſe è cineribus parato & forti, iam excluſis ſordibus omnibus auri in ſeparationis aquam immergito, & aurum deorſum vaſis fundo procumbit, colliges, nec veridicum magis è multis, & peculioſum, & laborioſum reperimus, laboribus ne parcito:

&ri-

& rite ministrato, ne tempus & oleum teras.

De Phœbi & Pithonis pugna.

Remoueatur suo loco ingentis corporis Python, faciei horridæ, rutilis cristulis, maximoque veneno minax, latiori aculeorum aceruo stipatus: ex omnibus acrior, quæ mater tellus producit: multumque loci conducit situs: vt hinc omne dependeat. Hic tabidi vi aeris, vipera virulentior, eminus duros infigit ictus: eum inimicum absorbuerit, cœco demergatur antro, vbi primum obmutuerit, ne surgentis vi vaporis, strangulantemque halitum eructans, astantes interimat, vnde conducit vesicis caput obulent, si fuerit quoque tutum, sed tutius erit militantes relinquantur: sic Phœbus suis paulatim confodiens sagittis, ingentem sternat Pythona, & sic in fine percutiet, vt exhausta sit pharetra, venenumq; effusum, nec cœli desit clementia, sed lōga imbrium procella sæuientem compescat, humoremque cupitum ipse hauriat, multaque humiditate intereuntem, deti-

neat: sic Phœbi, Pythonisque, per diei quadrantem immoretur bellum, vel plusculum, quod nil referre arbitror, dummodo victoriam referat: sic populatis visceribus, prostrato hoste, exhausto exinanitoque veneno, ira Phœbi cesset, & si amplius reuiuiscit, aditus vitam repullulandi resecetur, & tantum pugnet, dum pugnando occumbat: tunc Phœbus frõdibus & corollis caput redimitum, ferat insignis victoriæ præmium, nec lasciuum puerum iniuriis lacessat, & sat fecisse sciet.

De virtutibus quarundam Herbarum.

Sicut vult Philosophus in pluribus locis: Omnis scientia de genere bonorũ est. Veruntamẽ n. operatis aliquando bona, aliquãdo mala, prout sciẽtia mutatur ad bonũ & ad malum finem, ad quem operatur; ex quo concluduntur duo. Quorum vnum & primum est, quod scientia magicalis non est mala. Namq; per eius cogitationem potest euitari malum, & prosequi bonum. Concluditur etiam secundum, ex quo effectus laudatur pro-

pter

pter finem, atque vituperatur etiam finis scientiæ, aliquando non ordinatur ad bonum vel ad virtutem. Ex hoc sequitur quod scientia vel operatio aliquādo bona vel mala. Quia igitur magicalis seu cognitio bona est, vt præsuppositum est, & mala aliquantulum existit in speculatione rationum, & in speculatione naturalium secundum quod antiquis auctoribus examinaui & percepi, imo & egomet Albertus, vt in pluribus veritatē inueni, & veritatem suppono, quo ab aliquo ex Chyrandis libro, & libro Alchorar. Primò narrabo de quibusdam herbis. Post de quibusdam lapidibus. Tertio de quibusdam animalibus, & de virtutibus eorundem.

Nomina quarundam Herbarum.

Elitropia.	Lilium.
Vrtica.	Viscus quercinus.
Virga pastoris.	Centaurea.
Chelidonia.	Saluia.
Prouincia.	Nepta, Verbena.
Lingua canis.	Melysophylos.
Iusquiamus.	Rosa. Serpentina.

Prima herba apud Chaldæos vocatur *Ireos*: apud Latinos *Elitropia*. Cuius interpretatio dicitur ab Elios, quod est Sol: & tropos conuersio, quia conuersa est ad Solem. Huius autem virtus mirabilis est, quia si ista colligatur sole existete in Leone in Augusto, & inuoluatur in lauri folio, & simul addatur dens Lupi & feratur: nullus contra ferentem poterit habere vocem loquendi, nisi verba pacifica. Etsi enim aliquis furetur, & in nocte sub capite suo ponat, videbit furem & omnes eius conditiones. Et iterũ: si prædicta ponatur in aliquo templo, vbi sint mulieres, quarum connubium parte sui frangatur, nunquam poterunt exire de templo, nisi deponatur. Et hoc vltimum probatum est, & verissimum.

Secunda herba vocatur à Chaldæis *Roybra*, à Latino vel Gallicis *Vrtica* nuncupatur. Hanc herbam tenens in manu cum millefolio, securus est ab omni metu, & ab omni phantasmate. Et si id ponatur cum succo semperuiuæ, & vngatur manus & residuum ponatur in aqua, &

aquam intret, vbi sunt pisces, ad manus eius congregabuntur, & etiam ad piscellum. Et si extrahatur statim resiliunt ad loca propria, vbi erant prius.

Tertia herba à Chaldæis *Lorumborat* dicitur, & à Latinis *virga Pastoris*: Herbã hanc accipe, & cum succo mandragoræ distempera, & da cani vel alteri animali, & impraegnabitur in suo genere, & habebit fœtum in suo genere. De quo fœtu si accipiatur dens maxillaris, & intingatur in cibo vel potu, omnes qui inde potabunt, mox incipient bellum, & cum volueris delere, da eis succum amantilæ, id est, valeriæ, & fiet statim pax inter eos.

Quarta herba à Chaldæis *Aquilaris* dicitur, quia nascitur tempore, quo aquilæ faciunt nidos suos, à Latinis *Chelidonia*. Ista herba tempore, quo hirundines faciunt nidos, nascitur, quo etiam aquilæ. Hanc herbam, si quis cum corde talpæ habuerit, deuincit omnes hostes, omnes causas, & omnes lites remouebit. Et si prædicta ponatur super caput infirmi, si

debet

debet mori, ſtatim cantabit alta voce, ſi non, lachrymabit.

Quinta herba à Chaldæis *Iteriſi* dicitur, à Latinis *Prouentalis* vel *prouiſa*: illa enim puluerisata cum vermibus terræ circumvolutis, & cum ſemperuiuæ amorẽ inducit inter virum & vxorem ſi vtantur illo in cibariis. Et ſi compoſitio iſtorum cum aliquantulo ſulphuris ponatur in ſtagno vbi ſunt piſces, omnes morientur. Et ſi ad os bubali ponatur, ſtatim crepabit per medium, & hoc experimentum eſt à modernis. Si iterum dicta confectio ponatur in igne, ſtatim conuertetur in liuidum colorem.

Sexta herba à Chaldæis vocatur *Bieith*, à Latinis *Nepta*. Hanc herbam accipe, & miſce cum lapide inuento in nido vpupæ auis, & frices ventrem alicuius animalis, & imprægnabitur, & habebit fœtum in ſuo genere nigerrimum. Et ſi eis ponatur ad nares, ſtatim à terra cadent velut mortua, poſt modicum vero ſpacium curabuntur, & ſi prædictum compoſitum in vaſe apum ponatur, nunquam fugient,

ſed

sed ibi congregabuntur apes. Et si apes submergentur, & quasi moriantur, & in confectione prędicta ponantur post modicum temporis, vt per spacium vnius horæ, recuperabunt vitam. Nam & illud proportionatur qualitati deperditæ & signum ad hoc est, quod muscæ submersæ in cineribus tepidis ponantur, post modicum spacium vitam recuperabunt.

Septima herba à Chaldæis *Algeil*, à Latinis *Lingua canis* nuncupatur. Herbam hanc cum corde caniculæ & eius matrice, pone vbi vis, post modicum temporis congregabuntur omnes canes villæ. Et si prædictam sub pollice pedis habueris, omnes canes obmutescent, nec poterunt latrare: Et si prædictam in collo alicuius canis posueris, ita quod non possit ore attingere, semper vertetur in circuitu ad modum volubilis rotæ, donec cadet in terram velut mortus; & hoc expertum nostro tempore.

Octaua herba à Chaldæis *Mãsesa*, à Latinis.

tinis vel Gallicis *Iusquiamus* dicitur. Hanc herbam accipe & misce cum Realgalis & Hermodatalis, & pone in cibo canis rabidi, & statim peribit: & si succum eius cum supradictis posueris in scypho argenteo minutissime frangetur, & si supradictum cum sanguine leporis iuuenis commiscueris, & in pelle leporis conserues, omnes lepores congregabuntur ibidem, donec remotum fuerit.

Nona herba à Chaldæis *Augo*, à Latinis *Lilium*. Si hanc herbam sole existente in Leonis signo colabis, & cum lauri succo commiscueris, deinde sub fimo tempore aliquo succum illum posueris, fient vermes. De quibus si fiat puluis, & ponatur circa collum alicuius, vel in vestimẽtis suis, nunquam dormiet, vel dormire poterit, quousque depositum fuerit. Et si prædictum sub fimo posueris, & de vermibus inde nascentibus aliquem finxeris, statim inducetur ad febrem. Et si prædictum ponatur in vase aliquo, vbi sit lac vaccæ, & cooperiatur de pelle alicuius vaccæ vnius coloris, omnes vaccæ amittent

tent lac suum, & hoc maxime expertum est tempore nostro à quibusdam sortilatoribus.

Decima herba à Chaldæis dicitur *Luperax*, à Latinis *Viscus querci*, & crescit in arboribus trans forata arbore. Hæc herba cum quadam alia herba, quæ dicitur Martegon, id est, syluium, vt scribitur lingua Teuthonica, omnes seras aperit: & si prædictum compositum in ore alicuius ponatur, & cogitetur de aliquo, si debet accidere, corde infigitur, si autem non, corde resilit. Sed si prædictum ad arborem suspendatur cum ala hirundinis, ibi congregabuntur aues penè per quinque miliaria, & hoc vltimum tempore meo est expertum.

Vndecima herba à Chaldæis *Isiphilon* dicitur, Latinis *Centaurea* vocatur. Hanc autem herbam dicunt Magi habere mirabilem virtutem. Si enim adiungatur cum sanguine vpupæ fœmellæ, & ponatur cum oleo in lucerna, omnes circumstantes credent se esse Magos, ita quod vnus altero credet suũ caput sit in terra, & pe-

& pedes in cœlo, & si prædictum ponatur in igne stellis lucentibus, videbitur quod stellę currant ad inuicem & debellent: & si iterum prædictum cataplasma ponatur ad nares alicuius præ timore quem habebit, fugiet vehementer & hoc expertum est.

Duodecima herba à Chaldæis *Colorio* vel *coloricon*, à Latinis *Saluia* communiter est nuncupata. Hæc autem herba putrefacta sub fimo in vase vitreo, procreat quendam vermem, vel auem habentem caudam in modum merulę, de cuius sanguine si tangatur aliquis in pectore, amittet sensum per quindenam & plus. Et si prædictus serpens comburatur, & ponatur cinis in igne, statim fiet ysiris tonitrui horribilis. Et si prædictus puluis ponatur in lampade & accendatur, videbitur quod tota domus serpentibus repleatur. Et hoc est expertum à modernis.

Tertiadecima herba à Chaldæis *Olphanas*, à Latinis *Verbena*, dicitur. Hæc autem herba, vt referunt Magi, collecta sole existen-

istente in signo Arietis, & coniecta cum grano Peoniæ vnius anni, caduco à malo morbo curat. Et si ponatur in terra pingui post octo septimanas generabuntur vermes, qui si aliquem tetigerint statim morietur: Et si prædictum ponatur in columbario aliquo, omnes columbæ congregabuntur ibi. Et si puluis illorum in sole ponatur, videbitur quod sol sit liuidus, Si autem puluis ponatur in loco vbi homines habitant, vel iacent inter duos amantes statim fit lis, vel malitia inter eos.

Quartadecima herba à Chaldæis *Celeivos* dicitur, à Latinis *Melisophilos*, de qua Macer facit mentionem. Hæc autem herba collecta viridis, & coniecta cum succo cypressi vnius anni posita in pulmento, facit pulmentum videri plenum vermibus, & deferentem facit esse benignum & gratiosum, & aduersarios deuincere. Et si prædicta herba ligetur collo bouis sequetur te quocunque ieris: & si prædicto succo corrigiam miscueris, & de tertia parte sutoris hominis ruffi, & de

& de ſubaſcellis ſtatim cingens crepabit per medium.

Quintadecima herba à Chaldæis *Eglerisa*, à Latinis *Rosa* dicitur, & eſt herba cuius flos eſt notiſſimus. Accipe granum eius, & granum ſinapis, & pedem muſtelæ, hæc ſuſpende in arbore, & de cætero non fructificabit. Et ſi prædictum ponatur circa rete, congregabuntur ibi piſces. Et ſi magaris mortuum fuerit, & in commixtione prædicta ponatur per dimidium diem, licet tamen non acquiritur, recuperabit vitam. Et ſi puluis prædictus ponatur in lampade, poſtea accendatur, omnes videbuntur nigri ad modum Sathanæ, & puluis prædictus admiſceatur cum oleo oliuæ & cum ſulphure viuo & de hoc vngatur domus ſole lucente, ipſa tota videbitur inflammata.

Sextadecima herba à Chaldæis *Cartulin*, à Latinis *Serpentina* vocatur Hæc herba apud nos ſatis eſt nota. Hæc autem herba cum folio trifolii inhumata generat ſerpentes rubeos & virides, de quibus ſi fiat puluis, & ponatur in lampade arden-

dente, videbitur ibi copia serpentum si sub capite alicuius ponatur, de cætero id non somniabitur sibi.

Modus autem operandi omniũ prædictorum est, vt effectus bonus sit in planeta bono & malus in malo, id est, in horis & diebus eorum.

Virtutes herbarum septem, secundum Alexandrum Imperatorem, & has quidem virtutes, habuerunt ipse ab influentia ita planetarum. Cõtingit autẽ vnamquamque percipere virtutem suam à superioribus naturalibus.

Prima autem herba *Saturni*, quæ *Asphodilus* dicitur: Succus eius valet ad dolorem renum & tibiarum, Et datur patientibus dolorem vesicę radix eius cocta parum: Et dæmoniaci vel melancholici ipsam deferunt in linteo mundo, & liberantur, nec dæmonem in domo patitur esse, etsi ibidem fuerint.

Producentes dentes pueri si eã ferant, sine dolore eos producent, & est bonum vt homo deferat secum de nocte radicẽ, quia non timebit, neq; lædetur ab aliis.

Her-

Herba ſecunda *Solis* dicitur *Poligonia* vel *Corrigiola*, Hæc enim herba nomen ſuſcepit à ſole, nam eſt multum generans. Sic enim & hæc herba eſt multos faciens modos. Hanc quidem herbam alii appellauerunt Alchone quæ eſt domus ſolis. Hæc enim herba ſanat paſſiones cordis & ſtomachi.

Qui attingit hanc herbam habet virtutem à ſigno ſuo planeta. Si quis autem ſuccum bibit, facit eum multum coire. Et ſi quis deferat radicem eius, curat paſſiones oculorum. Et ſi antequam aliquã habuerit paſſionem portauerit ſecum, non ſuperueniet ei paſſio oculorum. Iuuat etiam Phreneticos, ſi eam ſecum deferunt in locis, id eſt, pectore. Iuuat etiam Peripneumaticos, & facit eis bonũ anhelitum & facit etiam ad fluxum ſanguinis melancholici.

Herba tertia *Lunæ Chynoſtates* dicitur. Succus eius purgat exacerbationes ſtomachi, thoracis & caſtorem: quia oſtendit ſe eſſe herbam Lunæ Flos autem huius

ius herbæ purgat ſplenes magnos & curat ipſos, quia iſta creſcit & decreſcit ſicut luna. Valet ad Ophthalmiam & facit acutum viſum, & valet contra ſanguinem oculorum. Si radicem eius tritam ponis ſuper oculum, mirabiliter viſum clarificas, quia lumen oculorum propinquatum eſt cum ſubſtantia Lunæ, etiam confert malum ſtomachum habentibus, qui non poſſunt cibum digerere bibendo ſuccum eius, amplius valet habentibus ſcrophulas.

Herba quarta *Arnogloſſa* dicitur. Radix huius herbæ valet contra dolorem capitis mirifice: quoniam opinatur eſſe domus Martis aries, quæ eſt caput totius mundi. Valet etiam contra malas conſuetudines teſticulorum, & vlcera putrida & ſordida, quia domus eſt Scorpio: quia pars eius retinet ſperma, id eſt ſemē, quod venit contra teſticulos. Valet etiā ſuccus eius dyſentericis & homoptoicis, & ad vitia hemorroidarum & ſtomachi dum quis eum biberit.

Herba quinta *Mercurii* dicitur *Pētaphi-*

lon,

lon, à quibuſdam Petadactylus, ab aliis ſæpe declinantis, à quibuſdam Calipendalo. Radix huius herbæ ſanat plagas & duritiem, trita & emplaſtrata. Amplius ſcrophulas diluit velociter, ſi ſuccus eius bibatur cum aqua. Sanat etiam fatigos & paſſiones pectoris ſeu dolores, ſi ſuccus eius bibatur. Soluit etiam dentium dolores, & ſi ſuccus eius ore teneatur, omnes oris curat paſſiones. Et ſi quis ſecũ deferat, opus dat & auxilium. Amplius ſi quis vult à rege vel à principe petere aliquid, copiam dat eloquentiæ, ſi ſecum eam habeat, & obtinebit quod voluerit, videlicet etiam in lithiaſi & diſuria ſuccus eius habitus.

Herba ſexta *Iouis* dicitur *Acharõ*, à quibuſdam *Iuſquiamus*. Radix eius poſita ſuper bubones, eos diſpergit, & obſeruat locum à phlegmone, Si quis eam portauerit antequã ei paſſio ſuperueniat, nunquam bubonem habebit. Confert etiam radix eius podagrę, dum ponitur trita ſuper locum patientis, & hęc quidem operatur virtute ſignorum habentium pedes

vel

vel habentium aspectum super pedes: & succus eius si bibatur cum melle cum mellicrato, confert doloribus epatis, & omnibus eius passionibus, quoniam Iupiter tenet epar. Similiter confert volentibus multum coire. Et est vtilis vt ea deferant secum volentes diligi à mulieribus. Facit enim deferentes lætos & delectabiles.

Septima herba *Veneris* dicitur *Pisteriona*, quibusdam *Hierobcram* dicitur, id est, herba columbaria & verbena. Radix huius herbæ posita super collum sanat scorphulas & parocidas, & bubones colli, & staphilion, id est, vrinæ distillationē, & ysmon, si ponatur emplastrum, & est comparatum passionibus istius loci. Sanat etiam scissuras & condylomata, id est, durities quæ nascuntur in ano, & hemorroidas. Si succut eius cum melle in aqua cocta bibatur, subtilitat ea quæ sunt in pulmone. Et facit bonum anhelitum, nam detinet pulmonem. Valet etiā multū in aphronidisia, id est, coitu, quia succus eius auget multum sperma, cum quis

vult coire addit ad desiderium eius & maior virtus ipsius herbæ est, quia si quis eam portauerit, est multum potens in coitu. Verumtamen non teneat aliquid aliud nisi istam herbam tãtum, si quis ponat eam in domo, vel vinea, vel in terris, abundanter habebit redditus. Amplius Radix ipsius valet omnibus illis qui volunt plantare vineas vel arbores & infantes portantes ipsam erunt bene disciplinati, & amantes doctrinam, & erunt lęti, & gaudiosi. Confert etiam posita in purgationibus, & repellit dæmones omnes.

Prædictas tamen herbas à 23. die Lunæ vsq; ad 30. incipiendo collectionem ipsam leuare à Mercurio per totam horam dierum euellendo fac mentionem passionis vt rei, scilicet nomina passionẽ vel rem, propter quam ipsam colligis, & ipsam accipe herbam: loca tamen ipsam super frumentum vel ordeum & ea vtere ad opus tuum postea.

De virtutibus lapidum quorundám.

Cum iam dictũ sit de virtutibus herbarum quarundam, & de modo agendi,

nunc

nunc in præſenti capitulo dicendum eſt de *Lapidibus* quibusdam & eorum effectibus, & qualiter poſſint accipi magna mirabilia opera. Sunt autem:

Si vis ſcire vtrum mulier tua ſit caſta, accipe lapidem qui *Magnes* vocatur. Eſt autẽ ferruginei coloris, & inuenitur in mari Indico, & aliquando in partibus Theutoniæ, in illa prouincia, quæ Francia Orientalis vocatur. Suppone ergo lapidem hunc capiti mulieris, & ſi caſta eſt, ipſa maritum amplexabitur, ſi autem non, ſtatim cadet à lecto. Ad hoc autem ſi lapis iſte ponatur ſuper carbones in quatuor angulis domus. Dico tritús, & ſuper carbones ſparſus, dormientes fugient ædes & relinquent torum, & tunc poſſunt fures reſpicere totum quod volunt.

Si vis fieri inuiſibilis, accipe lapidẽ qui dicitur *Ophthalmius*, & inuolue in folio lauri. Et dicitur lapis Ophthalmi⁹, cuius color nõ nominatur, nã multorũ colorũ: & eſt hic talis virtutis, ꝙ viſum circũſtantiũ excæcat vel abortat. Cõſtantius a pugno clauſo reddebatur per eũ inuiſibilis.

Si vis incitare tristitias, timores, & phantasias terribiles atq; lites, accipe lapidem, qui vocatur *Onyx*, qui est nigri coloris, & inuenitur melius genus eius repletum albis venis, & venit de India in Arabiam, & si collo vel digito suspendatur, excitat statim tristitias in homine & terrores: & etiam in somno excitat phantasias terribiles, & etiam lites, & hoc apud modernos est expertum.

Hæc de quibusdam lapidibus: sequitur virtutes animalium quorundam.

Lepus est animal satis notũ, à Chaldęis Veterellum nuncupatur. Huius virtus mirabilis refertur. Dicit enim Euax & Aaron, quod pedes eius iuncti cum lapide alias capite merulæ, mouent hominẽ ad audaciã, ita quod non timet mortẽ. Et si sinistro brachio allegatur, perget quo voluerit, & tutus redibit absq; periculo. Et si cani detur comedendum cum corde Mustelæ, de cætero non vociferabit, etiamsi interficeretur.

Eperiolus est animal satis notũ. Vnguis eius si comburatur & consolidetur, & de-

detur in cibo alicui equo, non comedet per triduum, & si prædictum ponatur cum aliquantulo terebentinæ, erit lucidum, & secundo fiet quasi nubes ac sanguis, si proiiciatur in aquam aliquantulum, fiet tonitruum horribile.

Leo est animal satis notum, à Chaldæis Aalamus vocatur, à Græcis Beruth. Si ex eius pelle fiant corrigiæ, præcinctus ex illis, non timebit hostes, & si de eius carnibus quis comederit, ac de eius aqua biberit, per tres dies curabitur à febre quartana, ac si de eius oculis sub ascella ponatur vel portetur, omnes bestiæ inclinato capite versus ima terga fugam dabunt.

Foca est piscis, satis notus, à Chaldæis Daulaubur, à Græcis labor dicitur, hic piscis est diuersæ naturæ. Si enim lingua eius accipiatur, & cum aliquando corde eius in aqua ponatur, pro certo congregabuntur ibi pisces, & si sub ascella portaueris, nullus iudicio contra te victoriã habere poterit, iudicem benignum & suauem habebis.

Anguilla eſt piſcis ſatis nota. Huius autem (prout vult Euax & Aaron) mirabiles ſunt virtutes. Si enim moriatur defectu aquæ corpore integro remanente, & accipiatur acetũ forte, & miſceatur ſanguini vulturis, & ponatur ſub fimo in aliquo loco, omnes quotquot fuerint, recuperabunt vitam, ſicut prius habuerunt. Et ſi vermis eius anguillæ extrahatur, & in prædicta confectione ponatur per menſem vnum, vermis mutabitur in anguillam nigerrimam, de qua ſi quis comederit, morietur.

Muſtela eſt animal ſatis notum, Si cor huius animalis comedatur adhuc eo palpitante, facit ſcire futura, & ſi de corde cum oculis, & lingua canis aliquis comedat, ſtatim amittet vocem. Vpupa eſt auis ſatis nota, à Chaldæis Bori dicta. Oculi eius geſtati faciunt hominem groſſum, & ſi oculi eius ferantur coram pectore, omnes eius inimici pacificabũtur, & ſi caput eius in burſa tua habueris, non poteris decipi ab aliquo mercatore, hoc autẽ expertũ eſt à fratribus noſtris hodie.

Pelli-

Pellicanus est auis satis nota, à Chaldæis Voltri dicitur, Huius virtus mirabilis est. Si eius pulli interficiantur, dum tamen eorum cor non frangatur, & de eius sanguine accipiatur, & tepidus ore pullorũ ponatur, statim sumit vitam sicut prius. Si suspẽdatur ad collum alicuius auis, semper volabit donec cadat mortua, & dexter eius pes sub calido, post tres menses ex humore & calore, quem auis habet, generabitur viua, & mouebit se, & hoc testatur Hermes in libro Alchorath, & Plinius.

Coruus est auis satis nota, & est eius virtus mirabilis, vt recitat Euax & Aaron. Si enim eius oua coquantur, & iterum in nido ponantur, statim coruus procedit ad mare rubrum in quandam insulam, vbi est Aldoricus vel Alodrius sepultus, & affert lapidem, quo tangit oua sua, & statim fiunt cruda, sicut prius erãt. Mirabile est oua cocta suscitare. Si a. lapis iste supponatur in annulo supponendo sibi folium lauri, & tangatur vinctus catenis, & ianua clausa, statim soluetur vinctus,

& aperietur ianua. Et si lapis iste ponatur in ore, dat intellectum omnium auium. Vnus autem lapis est Indicus, quia in India reperitur, secundum sapientes quosdam, & aliquando in mari rubro, varii coloris est, & facit omnes iras obliuisci, sicut supra diximus.

Miluus est auis satis nota, à Chaldæis Bysicus dicitur, si caput eius accipiatur, & feratur ante pectus, dat amorem & gratiam omnium hominum & mulierum, si suspendatur ad collum gallinę, nunquam cessabit decurrere donec deponat illud, & si ex eius sanguine inũgatur crista galli, de cætero non cantabit, in genibus eius inuenitur quidã lapis, si inspiciatur subtiliter, qui si ponatur in cibo duorum inimicorum fiunt amici, & erit optima pax inter eos.

Turtur est auis satis nota, & à Chaldæis dicitur Mulona. Si cor huius auis feratur in corio Lupi, nunquam de cætero habebit ferens appetitum luxuriandi, & si cor eius comburatur, & supra oua alicuius auis ponatur, nunquam de cætero ex

eis

eis poterit generari fœtus. Et si pedes eius suspendantur ad arborem, de cætero non fructificabit, & si eis sanguine cum aqua talpę decocta vngatur locus pilosus & equus, cadent nigri capilli.

Talpa est animal satis notum, huius animalis virtus mirabilis est, vt refertur à Philosophis. Si pes eius inuoluatur in folio lauri, & ponatur in ore equi, ipse fugiet præ timore, & si in nido alicuius auis ponatur, nunquam ex ouis illis exibit fœtus, & si talpas fugare volueris, pone eam in aula, & sulphur viuum accensum, & ibi conueniunt omnes aliæ talpæ, & aqua decoctionis ipsius dealbat equum nigrum.

Merula est auis satis nota, & est eius virtus mirabilis, quia si pēnæ alæ dextræ eius suspendantur in medio domus cum filo rubeo, quod nunquam fuerit in vsu, nullus poterit dormire in illa domo, donec deponatur. Et si cor eius ponatur sub capite dormientis, & ab eo quæratur, omnia dicet, quæ fecerit alta voce: & iterū si in aqua ponatur cum sanguine vpupæ,

& commisceatur, postea vngantur inde tempora alicuius, statim infirmatur vsq; ad mortem. Modus agendi omnium prędictorum, vt effectus bonus sit & vtilis, est, quod fiat sub planeta beneuolo, vt Ioue & Venere. Et in malo effectu sub planeta maleuolo, vt Saturno & Marte. Et hoc est scilicet diebus eorum & horis suis. Si quis autem hæc recte fecerit, proculdubio veritatem, & vtilitatem, & maximam efficaciam inuenit in prædictis, sicut sæpius vna cum nostris fratribus temporibus nostris sum expertus & vidi.

Consideret igitur hic, qui prædictorũ copiam inuenerit possidere vel dominium, efficaciam & virtutem, vtrum se habeant in effectu bono, seu sui contrario, quod bona sub beneuolo planeta experiantur, & mala sub maleuolo, & inueniet quod dictum est. Nam si in suis contrariis fierent, vt bonus effectus in signo maleuolo, vel è contra impediretur virtus & effectus eius propter suum contrarium, & sic bona & vera vilipenderent. Videmus enim quamplurimos falli in

cer-

certis ac veris, qui si signorum vel temporum qualitates agnoscerent, & custodirent in supradictis voluntatem, consequerentur & effectum.

Si quis cor canis sinistra parte portauerit, omnes canes obmutescent.

Si quis oculum dextrum Lupi ligauerit in manica dextra, neq; homines neq; canes ei nocere possunt.

Et vt omnia, quæ superius dicta sunt, & etiam dicentur inferius, qui astrorum peritiam non habent, ad effectum sui desiderii facilius possint accommodare: Primo notabis, quod hora sumitur dupliciter, videlicet æqualis & inæqualis. Hora æqualis est horologii, quæ semper æqualis existit. Inæqualis autem consideratur secundum quod dies maiorantur vel minorantur. Nam semper Astrologi considerant tempus, quo Sol stat super horizonta suum, & illud vocant diem vel arcum diurnum, & vice versa noctem. Id autem tempus, quod diem appellant, in partes diuidunt duodecim æquales, quæ sunt horę eiuscemodi diei, &

quicquid de die dicitur, de nocte oppo
sito modo intelligas. Et vt clarius perci
pias, ponamus quod Sol emergat hori
zontē hora octaua horologii, habemu
vsq; ad occasum 7. horas horologii, qua
multiplicemus per 60. prout 60. sunt mi
nuta cuiusq; horæ horologii, & habeb
mus noningenta sexaginta minuta, qu
diuidamus per 12. prout 12. sunt hor
diei, applicando cuilibet horæ suam por
tionem, & habebimus 80. minuta hor
qualibet: ergo hora talis diei habebit 8
minutas, quæ capient horam vnam, & v
num tertium horæ horologii. Et toto i
lo tempore considerabitur dominiū pl
netæ illius horæ, quemadmodum infr
scripta tabula demonstrabit. Quælib
autē hora sua noctis non habebit nisi 4
minutas. Quod sic de reliquis suo mod
intelligas, secundum videlicet solis ort
super terram, quia non ea hora, quæ me
dia est inter noctem & diem dies dicitu
sed dies proprie intelligitur cum Sol v
deri potest. Cū ergo voles cuiusq; plane
tæ dominiū considerare, nam vnaquaq
hor

hora quilibet planeta suum habet dominiũ, horas ipsas supra scripto modo considerabis, & sic poteris ad finem propositũ peruenire. Cõsideratur etiam diei initium à prima hora præcedentis diei post meridiem, si diuidatur dies dominicus in duas partes æquales, & sic duodecim horas diuide in duas, erit ergo octodecim dimidium diei, & prima hora sequens erit initium diei Lunæ.

De astris & planetis rerum scias, quod dies dominicus habet astrum suum sub Sole.

Dies Lunæ habet astrum suum sub Luna.

Dies Martis habet astrum suum sub Marte.

Dies Mercurii habet astrum suum sub Mercurio.

Dies Iouis habet astrum suum sub Ioue.

Dies Veneris habet astrum suum sub Venere.

Dies Sabbathi habet astrum suum sub Saturno.

Nota quod omnis actus fieri debet sub suo planeta. Et melius est, si in proprio die illius planetæ, & in ipsius hora propria fiat, vt verbi gratia.

Sub Saturno, vita, ædificium, doctrina, mutatio.

Sub Ioue, honor, optatum, diuitiæ, indumentum.

Sub Marte, bellum, carcer, matrimonium, inimicus.

Sub Sole, spes, lucrum, fortuna, hæres.

Sub Venere, amicus, vel societas, via, amica, peregrinus.

Sub Mercurio, amissio, debitum, timor.

Sub Luna, palatium, somnium, mercatum, furtum.

De horis dierum & noctium.

Et primo de horis diei dominicę hora eius, 1. Sol, 2. Venus, 3. Mercurius, 4. Luna, 5. Saturnus, 6. Iupiter, 7. Mars, 8. Sol, 9. Venus, 10. Mercurius, 11. Luna, 12. Saturnus.

Noctis vero prima eius hora Iupiter, 2. Mars,

Mars,3. Sol,4. Venus, 5. Mercurius, 6. Luna,7.Saturnus,8. Iupiter,9. Mars,10. Sol,11.Venus 12. Mercurius.

Diei Lunæ 1. eius hora Luna,2.Saturnus,3.Iupiter,4.Mars,5. Sol,6.Venus, 7. Mercurius, 8. Luna,9. Saturnus,10. Iupiter,11.Mars,12.Sol.

Noctis vero 1.eius hora, Venus,2.Mercurius,3..Luna,4.Saturnus, 5. Iupiter,6. Mars,7. Sol,8. Venus, 9.Mercurius, 10. Luna, 11.Saturnus,12.Iupiter.

Dies Martis,1. eius hora,Mars,2. Sol, 3.Venus, 4. Mercurius,5. Luna,6. Saturnus,7. Iupiter,8. Mars,9. Sol,10.Venus, 11.Mercurius,12.Luna.

Noctis vero diei Martis prima eius hora Saturnus, 2. Iupiter,3. Mars,4. Sol, 5. Venus.6. Mercurius,7. Luna,8. Saturnus,9. Iupiter,10. Mars,11. Sol. 12. Venus.

Dies Mercurii 1.eius hora Mercurius, 2.Luna,3.Saturnus,4. Iupiter,5. Mars,6. Sol,7.Venus,8.Mercur.9.Luna,10.Saturnus, 11.Iupiter,12 .Mars.

No-

Noctis vero Mercurii, 1. eius hora Sol, 2. Venus, 3. Mercurius, 4. Luna, 5. Saturnus, 6. Iupiter, 7. Mars, 8. Sol. 9. Venus, 10. Mercurius, 11. Luna, 12. Saturnus.

Dies Iouis, 1. eius hora Iupiter, 2. Mars, 3. Sol, 4. Venus, 5. Mercurius, 6. Luna, 7. Saturnus, 8. Iupiter, 9. Mars, 10. Sol, 11. Venus 12. Mercurius.

Noctis vero Iouis, 1. hora Luna, 2. Saturnus, 3. Iupiter, 4. Mars, 5. Sol, 6. Venus. 7. Mercurius, 8. Luna, 9. Saturnus, 10. Iupiter, 11. Mars, 12. Sol.

Dies Veneris, 1. eius hora Venus, 2. Mercurius, 3. Luna, 4. Saturnus, 5. Iupiter, 6. Mars, 7. Sol. 8.

Noctis vero Veneris, 1. eius hora, Mars, 2. Sol, 3. Venus, 4. Mercurius, 5. Luna, 6. Saturnus, 7. Iupiter, 8. Mars, 9. Sol, 10. Venus, 11. Mercurius, 12. Luna.

Dies Sabbathi, 1. eius hora, Saturn. 2. Iupiter, 3. Mars, 4. Sol, 5. Venus, 6. Mercurius, 7. Luna, 8. Saturnus, 9. Iupiter, 10. Mars, 11. Sol, 12. Venus.

Noctis vero Sabbathi prima eius hora Mercurius, 2. Luna, 3. Saturnus, 4. Iupiter,

ter,5.Mars,6.Sol,7.Venus,8.Mercurius, 9.Luna,10.Saturnus,11.Iupiter,12.Mars. Et nota quod Iupiter, & Venus boni sunt. Saturnus & Mars mali. Sol vero & Luna mediocres. Mercurius autem cum bonis bonus,& malis malus. His cognitis, & ad vsum tuum Lector beneuole annotatis,alia itidem subiungenda duximus. Scribit Galenus, quod quando folia acetosæ comeduntur, soluunt ventrem. Et dicitur, quod radix acetosæ suspensa super habentem scrophulas iuuat ipsum.

Et dicunt Philosophi, quando vis vt redeat bestia ad hospitium suum, line frontem eius cum [illegible] & redibit.

Et Aristot.dixit in libro de animal. Si ponat aliquis ceram cõtritam super cornua vituli vaccarum, vadit cum eo vbicunque vult sine labore,& si inungat aliquis cornua vaccarum cum cera & oleo aut pice,recedit dolor pedum earum. Et si quis delinierit caput tauri oleo rosarum, apostematur caput eius, & si liniatur cũ eo caput vaccæ, moritur. Et si aliquis

quis vnxerit linguam boum cum ſepo aliquo, non guſtant cibum, nec comedũt, ſed prius moriuntur fame, niſi abſtergatur cum ſale & aceto. Et ſi quis inungit anum galli cum oleo, non calcat gallinam, nec poteſt, & ſi quis vult, vt non vociferet gallus, caput eius inũgat oleo, & frõtem. In libr. Archigenis dicitur, quando cauilla leporis ſuſpenditur ſuper eum, qui patitur licam confert.

Et dixit Ariſtot. qui ſedet ſuper pellem leonis, recedunt ab eo hæmorroides.

Et dixerunt Philoſophi, ſi annularem abortiui ſuſpendit ſuper ſe mulier, non concipit, donec permaneat ſuper ipſam. Et quando bibit mulier vrinam arietum, nunquam concipiet, & quando bibit ſanguinem leporis non concipit, Et ſi ſtercus leporis ſuſpendatur ſuper mulierem, non concipit, donec permaneat ſuper ipſam: & origanum modo tantum quando teritur & pulueriʒatur ſuper locum formicarum, amittunt formicæ locum ſuum.

Dixe-

Dixerunt Philosophi. Si suspendatur caput capræ super illum qui patitur scropulas, sanatur per ipsum. Et dicitur in lib. decorationis. Accipe Myrrham, & line pollicem pedis dextri tui cum oleo de palestina trita, tunc tu concumbes dum illud permanet super pollicem. Et dicitur ibi, quod si tu accipis fel hirci & adipes, & exsicca vtraque; deinde tere ea, & calefac ambo cum puro oleo, & line cum ea Priapum in circuitu hora coitus, & nullum alium expetet præter te.

Dicunt etiam Philosoph. Si accipiatur mediũ põdus III. illius, & quinq; ex duobus testiculis vulpium, & ex felle galli, & permisceat vtraque, & portet ea continuo tribus diebus in vulua, si in die quarta futat eam vir, imprægnabitur à masculo.

Si supendatur cauda Adib, supra præsepe vaccarum aut pecudũ, non appropinquabit lupus, donec permanebit illic, & si suspenditur cauda lupi aut pellis, aut caput, supra præsepe, non comedent boues nec bestiæ aliquid. Et mulier

quæ

quæ se sæpius inungit vrina Adib, nunquam concipiet.

Si *vis vt mulier non corrumpatur, nec quærat viros.* Accipe priapum lupi & pilos palpebrarum eius & pilos, qui sunt sub barba eius, & combure illud totum, & da ei in potu ipsa nesciente, nullum alium volet. Et dixerunt, quãdo mulier nõ vult virum suum, tũc accipiat vir eius aliquid de sepo hircorum mediorum inter paruos & magnos, & liniat cum eo Priapum suum, & coeat, ipsa enim amabit eum nec coibit postea cum aliquibus.

Et dixerunt quod testudo quando venenatur, comedit origanum & sanatur, & ideo sciuit, quod origanum succubuit cum veneno.

Dicitur etiam quod mustela, quando venenatur à serpente comedit rutam, & sciunt ex hoc, quod ruta est contrarium veneno serpentum.

Et mus suppositus puncturæ scorpionum liberat, quia contrarius est, & nihil timens eum.

Dicunt Philos. Quod si quis extraxerit

rit calcaneum mulieris mustelæ ipsa existente viua, & suspendatur super mulierem, non concipit, donec maneat super eam, & quando remouetur, impraegnatur.

Et inuenerunt Philos. quod si aliqua mulier est sterilis, quando apponunt rem faciētem sterilem, mulier fit non sterilis, & è conuerso.

Si accipiantur duo testiculi mustelæ, & stringantur & ligentur in crucem mulieris, & habeat eos secum mulier, non concipit & dicitur, quod quando spongia proiicitur in vino mixta aqua, deinde extrahitur & restringitur & exprimitur, egreditur aqua ex eo & remanet vinum, & si non est mixtum, nihil egreditur.

Dicit Tabariensis, quod si suspenditur lapis spongię in collo pueri, qui tussit tussi vehementi, sedatur tussis eius: & quando intromittitur in caput asini aut anum scarabeus sincopizat, & non vertitur, donec extrahatur.

Et si homo comedit lētes ac mordeat, non

non sanatur morsus, & quando intromittitur in anum arietis cadit lana eius.

Dicitur etiam, quod si ligetur aliquis lapis cum cauda asini, non rudet nec ruget.

Si accipiantur pili asini, qui sunt iuxta priapum eius, & dantur alicui in potu triticum vino cuiuis, incipit statim pedere.

Similiter si aliquis accipit oua formicarum, & conterit ea, & proiecerit in aquam, & dederit eam in potu cuiuis statim non cessat pedere. Similiter faciunt cum vino.

Et dicitur, quod si feceris annulum ex virga myrti recentis, & intromisceas in ipsum annularem digitum, sedat apostema sub ascellis.

In lib. Arist. radix Iusquiani albi, quando suspenditur super patiētem Cholicam confert ei: & quando hauriat, nitrum salsum ponitur in vase, & ponitur super ipsum acetum, bullit fortiter absque igne.

Dicitur etiam in libro Hermetis, quā-

do

do proiicitur ſemen porri ſuper acetum, redit acetoſitas eius.

Balbinus dicit, quando accipis albumen oui & alumen, & linis cum eo pannum, & ipſum abluis cum aqua ſalis, ſiccaceum, prohibet ignem comburere.

Dicit alius, quando accipitur Arſenicum rubeum & alumen, & teruntur ac conficiuntur cum ſucco ſemperuiuæ & felle tauri, & linit cum eo homo manus ſuas, deinde accipit ferrum ignitum, non comburit ipſum. Similiter ſi accipiatur ex magna & alumine iamenti & talo & aceto fortiet, & altea & contriueris ea contritione bona, & linias cum ea manus, non lædit eas ignis.

Et dixerunt in Carabe, quando multũ teris ipſum & ſufflas verſus lampadem cum ſufflatorio, inflammatur ex eo ignis magnus, & ab eo nihil contactum comburitur, & quando volueris, vt quæ ſunt in palatio videantur nigra, accipe de ſpuma maris, & calcato, & permiſce ea filis, deinde humecta cum ea licinium, & illumina cum eo lampadem.

Quan-

Quando vis, vt quæ ſunt in palatio, videantur ſine capitibus, accipe ſulphur citrinum cum oleo, & pone ipſum in lampade, & illumina cum eo, & pone illud in medio hominum & videbis mirum.

Et iterum dicit Belbinus, qui poſuerit portulacam ſuper lectum ſuum, non videbit ſomnium nec viſionem penitus.

Et Ariſt. dicit, quod equæ, quando odorant fumum lampadis extinctæ abortiunt, & indignantur, & ſimiliter hoc accidit quibuſdam mulieribus prægnantibus.

Dicit Ariſtot. quod ſi quis ingeniatur Camelum coire cum matre ſua, & ipſe præſentit illud, ipſe proſequitur eum, donec interficit eum, & ingenietur equum aſcendere matrem ſuam & præſentiat illud, interficit ſeipſum, & necat intendens ad hoc.

Et dicunt Phil. quod ſi ſubmergas muſcas in aqua videntur mortuæ, & ſi ſepeliantur in cinere reſurgunt iterũ, & quãdo ſubmergis Aombor moritur, & ſi roretur

tur super ipsam acetum viuificatur, & quando sepelis scarabeum in rosis moritur, & si sepelis in stercore, viuificatur.

Dixerunt & Philosophi, quod quando pennæ aquilarum ponuntur cum pēnis aliarum auium, comburunt illas, & mortificant eas, sicut ipsa est vincens in vita sua omnes aues & dominans. Pennæ aquilarum sunt perniciosæ omnibus pēnis, & dicunt Philosophi, quod si ponatur in aliquo loco pellis ouis cum pelle Adib, corrodit & consumit: & qui induit pannum ex lana ouis, quæ commedit Adib, non cesset ab eo pruritus, donec exuat eum. Et si acceperis pilum equæ, & extenderis ipsum super ostium domus, non ingreditur ostium illud cinifex, donec super eo stat pilus.

Et si suffumigas domum aut locum pulmone asini, mundas eum ab omni serpente & scorpione, & sciunt Philosophi ex hoc, quod valet contra venenuum.

Tabariensis etiam dixit, si lingua vpupę suspendatur super patientem obliuiosum reddit memorem.

Et in libro Cleopatræ dicitur: si mulier non delectatur cum viro suo, accipe medullam lupi de pede sinistro, & porta eam, ac nullum diliget, nisi te. Et dicitur, quando accipitur coxa Sturionis masculi sinistra, & bulitum cum oleo, deinde liniuntur cum eo origines pilorum, nunquam renascuntur.

Dixit Architas, si accipiatur cor, dum viuit & suspendatur super patientem quartanam eradicat eam.

Et spolium serpentis, quando stringitur super ancham mulieris accelerat partum, sed cum parit, illico remoueatur.

Dentes omnium serpentum, quando eradicas eos, dum viuit serpens, & suspendantur super quartanarium, tollunt ab eo quartanã: & si suspendatur serpens super dolentem dentem prodest, & si serpens occurrit prægnanti, abortit: & si occurrit ei, dum parit, accelerat partum. Et dicunt si acceperis caninum dẽtem crocodili ex palato eius superiore sinistro & suspendis eum supra febricientem, sanat

&

& redibit ad ipsum nunquam: & dixerunt, quod leo terretur ex gallo albo, & iterum timet ignem, & qui vngitur cum seuo renum leonis, non timet ire inter bestias, & omnes bestiæ terrentur ex leone, & qui linit corpus suum cum stercore leporis, terrentur ab eo lupi.

Et si teritur arsenicum citrinum, & admiscetur lacrisi, non cadit super eum musca, quæ non moriatur.

Si acceperis dextrum pedem testudinis, & suspendis eum super dextrum pedem podagrici, confert ei. Similiter si sinistrum sinistro, & sic manus ius confert manui, & digitus digito. Et accendatur ignis coram hernioso ex viridibus lignis ficulnearum, crepitant testiculi eius.

Et in libro Hermetis oculi vrsi ambo cum ligantur in panno lini super adiutorium sinistrum, remouet quartanam, & dicitur quod si lupus viderit hominem, & ipse non videt eum, stupescit, & homo timet & rauescit. Et ideo si quis gerit oculum lupi, iuuat ad victoriam, ad auda-

ciam & debellationem, & timorem aduersarii.

Et dicitur, quod si fiat annulus ex albis vngulis asini, qui induit ipsum epilepticus, non patitur epilepsian.

Et dixerunt, quando vis ne approximent muscæ domo, tunc pone condisim & opiam in albedine calcis, & inde albifica domum cum ea, tunc non egredientur muscæ penitus.

Et quando vis, vt narret tibi mulier vel puella tua omnia quæ fecit, accipe cor columbæ, & caput ranæ, & exsicca vtraque & tere, & pulueriſa supra pectus dormientis, & narrabit omnia quæ fecit. Dum vero euigilauerit, exterge illud à pectore ne alleuetur. Et dicunt, quod si quis ponit adamantem capiti mulieris dormientis, manifestat si est adultera: quoniam si sic est, resilit territa de lecto: & si non, amplectitur virum suum cum grandi dilectione.

Et dicunt quod pellis asini quando suspenditur super pueros prohibet eos terreri.

Et

Et dicit Architas, quod ſi accipiatur cerumen auris canis ſiniſtræ,& ſuſpendatur febricitantibus periodicè, confert multum, maximè quartanæ.

Et dicunt Philoſophi, quod aliqua ſpecies vel indiuiduum, quænunquam habuit ægritudinem,confert omni ægritudini: & cum nunquam affuerit dolor aliquis, ſuccurrit & ſanat hominem ab illo.

Et ſi ſuſpenditur ſpuma maris ſuper ancham mulieris ſiniſtram, accelerat partum,& quando ſuffumigatur domus cum vngula Muli ſiniſtra, non remanent in ea muſcæ.

Et ſi ſuſpendatur cor vpupæ, aut oculus,aut cerebrũ ſupra ſe ad collum ſuum, confert obliuioni, & ſubtilitat intellectum hominis.

Si mulier non poteſt concipere, accipe cornu ceruinum puluerisatum,& miſceatur cum felle vaccino, teneat mulier ſuper ſe,coëat & ſtatim concipiet.

Seta de cauda equæ poſita ſuper oſtio non permittit intrare zanzalas.

Dens pulli vnius anni positus in collo infantis, facit eius dentes prouocari sine dolore.

Dens equæ positus super caput furentis, statim liberat eum.

Si mulier non potest concipere, detur ei nescienti lac iumenti, ea hora coeat, & statim concipiet.

Vnguis equi suffumigatus in domo effugat mures. Idem fit ex vngula muli.

Vt tota aqua calida exeat è calidario atramentũ, id est, terrã franciscam cũ pice proiice in aquã & tota exibit. Vt ignis de aqua extra eat, testã oui accipe, & sulphur viuum tritum impone, & calcẽ, & claude foramen, mitte in aquam, & incenditur. Et dicitur, quod si ponatur Camphora super aquam, accenditur & comburitur in aqua.

Vt aues manibus comprehendas, accipe grana quæuis, in fece vini, & in succo cicutæ valde imbibita, & obiice ad aues, omnis auis, quæ inde gustat, inebriatur & perdit vires.

Si quæ mulier te ligauit maleficiis ad amo-

amorem suum, & vis illud dissoluere. Accipe Camisiam suam, & per capitium eius minge foras, & per manicam eius dextram, & non curabis de ea.

Vt mulier cum aliquo adulterare non possit, incide de capillis eius, & puluerem illorum tibi super feretrum sparge, ante tamen vnge feretrum cum melle, & mox coeas cum muliere, & cum volueris soluere ex tuis capillis fac similiter.

Et dicunt, si aliquis inungatur lacte asinæ, congregabuntur in eo omnes pulices domus.

Literas quæ non leguntur nisi de nocte: cum felle testudinis scribe, aut lacte ficus, si ponatur ad ignem, aut cum aqua vermis lucentis de sero.

Si accipiantur multa albumina ouorum de gallina, post mensem fiunt vitrum, & dura vt lapis: & ex hoc tali fit topatius sophisticatus, si prius cum croco vel terra rubea liniatur. Similiter spuma, quæ inuenitur circa testiculos cerui, vel equi, vel asini fatigati, admisceatur cum vino; & illud vinum detur alicui po-

tationi abhorrebit vinum per mensem.

Et si habueris plures anguillas in vase vini, & dimittantur in illo mori: si quis biberit ex illo, abhorrebit vinum per annum, & forte semper.

Et dicitur, quod si accipiatur funis aliqua, cum qua suspenditur fur vel suspensus est, & aliquantulum paleæ, quam turbo venti aere suspendit, & ponatur in olla, & misceatur cum aliis ollis illa omnes alias frangit. Item accipe aliquantulum prædicti funis, pone in instrumento cum quo mittitur panis in furno, quando ille, qui mittere debet in furno, mittet, non poterit immittere, sed extra exiliet.

Vt homines videantur sine capitibus, accipe spolium serpentis & auripigmentum, & picem græcam, reuponticum, & ceram nouarum apum, & sanguinem asini, & tere omnia, & mitte in rudi olla plena de aqua, & facias bullire ad lentum ignem, & postea dimitte frigescere, & facias cæreum, & omnis qui illuminabitur eo, videbitur sine capite.

Vt homines videantur habere quorum-

rumlibet animalium capita: Accipe sulphur viuum & litargyrium, & istis simul puluerizatis, sparge in lampade oleo plena, habeantque candelam de cera virginea, quæ permixta sit cum fece illius animalis, cuius caput vis, vt videatur habere tenens candelam accensam de lampadis igne, & da bibere vinum cum valdimonia, & illi qui inde potabunt, videbunt se habere caput animalis.

Vt homines videantur habere vultum canis, accipe adipem de aure canis, vnge ex eo parum de bombycino nouo, pone in lampade noua de viridi vitro, & pone lucernam inter homines, & cernunt vultum canis.

Vt homines videantur habere tria capita, accipe de pilis asini mortui, & fac funiculum, & sicca, & sume medullam de osse principalis dextri humeri, & misce cum virga virginea, & line funiculum, & pone super liminaria domus: ingredientes domum tria capita habebunt, hi qui in domo sunt, intrantibus asini videbuntur.

Si vis vt caput hominis, caput asini videatur: tolle de segmine aselli, & vnge hominem in capite.

Si vis vt pullus aut res alia saltet in disco: accipe argentum viuum, & puluerem calamitæ, & mitte in ampullam vitream sigillatam, & illam pone intra rem calidam, quia cum sit argentum viuum calidum, mouet se, & facit eam saltare.

Si vis videre quod alii nequeunt, accipe fel de masculo catto, & adipem gallinæ omnino albæ, & misce insimul, & oculos tuos inunge, & videbis.

Si vis intelligere voces auium, associa tecum duos socios in 5. Calendas Nouembris, & vade in quoddam nemus cum canibus, quasi ad venandum, & illam bestiam, quam primo inueneris, defer tecum ad domum, & præpara cum corde vulpis, & statim intelliges voces auium vel bestiarum, & si vis, vt aliquis intelligat, oscula eum, & intelliget similiter.

Si vis soluere vincula, vade in syluam, & prospice, vbi pica nidum habuerit cum pullis, & quando eris ibi, ascende ad ar-

borem,

borem,& foramen eius circumliga quocunque vis, quia cum videt te, vadit pro quadam herba quam ponit ad ligaturam, & statim rumpitur, & tunc cadit herba illa in terram super pannum, quem debes posuisse sub arbore, & tu sis præsens & accipe.

In nido vpupæ est quidam lapis, qui est diuersorum colorum, defer tecum ipsum,& eris inuisibilis.

Vt homo semper eunuchus sit, accipe ex vermiculo, qui in æstate lucet, da ei bibere.

Vt mulier confiteatur, quæ fecerit, ranam aqualem comprehende viuam, & tolle eius linguam, & remitte illam in aquam,& pone illam linguam super partem cordis fœminæ dormientis, quę cum interrogetur, vera dicet,

Si vis aliquem terrere in somno, capiti eius suppone pellem simiæ. Si vis capere talpam, in foramine eius cæpe vel porrum aut allium,& statim egredietur sine viribus. Serpens non accedit ad alliũ, nec canis gustat aliquid tinctum cum allio.

Suffumigatio quam cum feceris, videbuntur omnes in forma elephantum, qui sunt in domo & equorum magnorum: Accipe speciem quæ dicitur Alchachengi, & contere & confice ipsam cum aliquantulo pinguedinis delphini, & fac ex eo grana sicut citri. Deinde fumiga ex eis super ignem stercoris vaccæ, quæ mulgetur, & non sit in domo locus, ex quo egreditur fumus nisi portas, & fit larga sub terra deintus. Nam omnes qui sunt in mansione videbuntur, quasi ipsi sunt homines magni in formis equorum, elephantum, & est mirabile valde.

Suffumigatio alia, quam cum facis, vides formas multiformes, & mirabilia infinita, quæ præ multitudine non discernuntur: Accipe Timar. I. vermilium & lapidem Lazuli, & Pulegium montanum, & pulueriza totum, & cribella illud, & confice illud cum pinguedine delphini, vel equi, vel elephantis, fac grana in modum ciceris & sicca in vmbra, & suffumiga in eo, quando volueris, & fiet quod dictum est.

Suffu-

Suffumigario ad videndum in somno quod futurum est de bono & malo. Accipe sanguinem asini congelatum, & lupi cerni pinguedinem, & storacem aggregaui totum ponderibus æqualibus, & conficiantur, & fiant grana, & suffumigetur cum eis domus. Tu enim videbis in somno tuo, qui narrabit tibi omnia.

Modus faciendi licinium quod quando accendes, videbis homines in quacũque forma volueris. Accipe oculos bubonis, & oculos piscis qui dicitur Affures, & oculos piscis, qui dicitur Libiniti, & fel luporum, contrita ergo à manibus commiscendo, pone ea in vase vitreo. Cum ergo vis operari eum, accipe adipem cuiuscunque vis bestiæ, quod fiat hoc in forma eius, liquefac eam, & permisce cum illa medicina, & inunge cum eo licinium quodcunque vis, deinde accende ipsum in medio ædis, videbuntur enim omnes homines in domo illa in forma illius bestiæ, cuius pinguedinem accepisti.

Licinium aliud, vt homines appareant

in forma Angelorum. Accipe oculos piscis, oculos filoæ, id est, frangentis ossa, & contrita eos manibus malleando, & pone eos in vase vitreo septem diebus, deinde pone in eis aliquid de oleo, & illumina cum eo in lampade viridi, & pone ipsum coram hominibus, qui sunt in æde: ipsi enim videbunt se in forma Angelorum ex igne accenso.

Licinium aliud faciens apparere homines nigrarum facierum: Accipe lampadem nigram, & funde super ipsum oleum Sambucinum vel argentum viuum, & funde in illo oleo vel argento viuo ex sanguine Flebotomatium, & pone in illo sanguine Sambucinum vel argentum viuum. Aliud fit licinium ex pannis mortui, aut ex pannis nigris, & accede in medio ædis. Nam tu videbis ex hominibus mirabilia, quando videbunt se ad inuicem cum illis formis.

Lampas mirabilis in qua apparent res quantitatis terribilis habens in manu virgam & territat hominem. Accipe ranam viridem, & decolla eam supra pannum exe-

exequiarum viridem , madefac ipsum cum oleo sambucino, & pone ipsum licinium, & illumina cum eo in lampade viridi, videbis nigrum statum , inter cuius manus erit lampas & mirabile.

Lampas quam cum aliquis tenet in manu, non videt aliquos eorum, qui sunt ibi , & qui fuit post ipsum videbit tantum. Accipe piscem qui dicitur Delphinus, deinde accipe pannum lini aut funeris, & sparge super ipsum aliquid extra Azimar, deinde funde super illud ex illa pinguedine liquefacta, deinde stringe manum super ipsum & inuolue pannum, & fac ex eo licinium, deinde accende ipsum in lampade, & eris viridis, & fiet quod tibi dixi.

Lampas alia faciens apparere homines in forma fœda, & terrentur homines inuicem, & faciunt ipsum fingentes dæmonem. Accipe pilos ex cauda canis nigri, in quo non sit albedo, & aliquid ex pinguedine eius, liquefac pinguedinem: Deinde accipe pannum exequiarum, & fac deinde licinium , deinde line ipsum

cum

cum eo quod fecisti,& illumina ipsum in lampade viridi cum oleo sambuccino,& accende ipsum in domo, & non sit ibi licinium preter ipsum,& videbis mirabile.

Licinium pulchrum, vt domus videatur tota plena serpentum & imaginum, donec licinium permanet accensum Accipe pinguedinem serpentis nigri & spolium serpentis nigri,& pannum ex equiarum,& fac licinium ex illo panno,deinde line ipsum cum illa pinguedine, & pone spolium serpentis in concauitate, ac illumina cum oleo sambucino in lampade viridi aut nigra.

Aliud licinium, quod quando est accensum,& infunditur super ipsum aqua, inualescit,& quando oleum extinguitur, accipe calcem, quam non inuenit aqua, ac permitte eam cum æquali pondere sibi ex cera & medietatis eius ex oleo balsami,ex napta citrina, cum æquali sibi ex sulphure,fac licinium ex ea, ac rora super aquam,& accendetur,ac rora super ipsum oleum,& extinguetur.

Licinium aliud quod cum accenditur,

omnia videntur alba & argentea accipe lacertam,& abſcinde caudam eius, & accipe,quod exit, quia eſt ſimile argenti viui. Deinde accipe licinium,& madefac cum oleo,ac pone ipſum in lampade noua,& accende,domus ei videbitur ſplendida & alba vel deargentata.

Operatio lampadis & mirabilis,quam ſi quis tenuerit, non ceſſat pedere donec dimiſerit eam:accipe ſanguinem teſtudinis,exſicca ipſum in panno lini, & fac ex ipſo licinium,ac illumina ipſum in lampade,da ipſum cui vis, ac dic, illumina: nam ipſe non ceſſabit pedere, donec dimiſerit illud,& eſt mirabile.

Quando vis,vt videaris totus ignitus à capite vſque ad pedes,& non lædaris. Accipe maluauiſcum album ; confice cum albumine ouorum , deinde line cum eo corpus tuum , & dimitte donec exſiccetur,deinde line te cum alumine, & poſtea pulueriza ſuper illud ſulphur ſubtile, inflammatur enim ignis in eo, & non lædit,& ſi facis ſuper palmam,poteris tenere ignem ſine læſione.

Si

Si vis, vt res proiiciatur in ignem & non comburatur; accipe glutem piſcis partem vnam,&aluminis æquale illi permiſceatur totũ, & fundatur ſuper ipſum acetum vini, & commiſceatur cum eo quicquid vis,proiice in ignẽ, & line cum hoc linimento,non comburetur.

Si vis facere contrarium, ſcilicet imaginem aliquam hominis aut alterius, & quando ponitur in aqua accenditur, & ſi extraxeris eam, extinguetur, accipe calcem nõ extinctam & permiſce eam cum aliquantulo ceræ & oleo ſiſami & napta, id eſt, terra alba & ſulphure & fac ex illo imaginem:nam quando tu rorabis aqua accendetur ignis.

Si vis facere,vt quando aperis manus tuas,ſuper lampade extinguatur lumen, & quando claudis eas ſuper eam accenditur,& non ceſſat illud facere. Accipe ſpeciem quæ dicitur ſpuma Inda, tere eam, & deinde aperi eas in facie lampadis,delebitur lumen eius,& claude & reaccenditur.

Si vis videre rem ſubmerſam & profun-

fun-

fundam in nocte, & non occulturum tibi plusquam in die legens libros de nocte nigra. Vnge faciem tuam cum sanguine vespertilionis, & erit quod dico.

Si vis albificare aliquid, suffumiga illud sulphure.

Si vis, vt arbor citri proiiciat omnes fructus vt cadant. Accipe quinque partes sulphuris citrini, & quinque nigri, & duo albi, & sinabrium: tere omnia & permisce & suffumiga, & cadent omnes fructus, forte est in aliis arboribus.

Si vis statim interficere serpentem. Accipe ex Aristolochia rotunda quantũ vis, & tere illam bene, & accipe ranam sylvestrem vel campestrem, & contere ipsam, & commisce eam Aristolochiæ, & pone cum eo aliquid ex encausto, & scribe cum eo in carta aut aliquod, quod plus amas, & proiice ad serpentes.

Si vis portare in manu tua ignem, vt non offendat. Accipe calcem dissolutam cum aqua fabarum calida, & aliquantulum magranculis & aliquantulum maluauesci, ac permisce illud cum eo bene, dein-

deinde line cum eo palmam tuam, & fac ſiccari,ac pone in ea ignem, non nocebit.

Dicunt Philoſophi , calx talis non comburit in igne, & glutem piſcis ſaluat ab igne,& alumen iamenum, & ſanguis ſalamandræ, & fuligo furni vel lebetis: quando igitur ex iſtis omnibus aut quibuſdam fit linimentum, non offendit ignis albumen oui & maluauiſcum, & habent iuuamentum in hoc.

Si vis, vt tota domus appareat plena ſerpentibus. Accipe de pinguedine ſerpentis,& parum ſalis in ea pone, & accipe pannum exequiarum, ac ſcinde ipſum in quatuor fruſta, deinde pinguedinem, & pone ipſam in omni panno:ſi ſic facias quatuor licinia,& accende ea in quatuor angulis domus cum oleo ſambucino, & in lampade noua,& fiet quod dixi.

Licinium quod cum accenditur in domo , videbis res volantes virides vt paſſeres,&aues,accipe pannum exequiarum recentem, & pone in eo cerebrum auis,ac pennas caudæ eius, & inuoluendo

do fac eis licinium, & pone ipſum in lampade noua viridi, accende ipſam in domo cum oleo oliuæ, & res, quæ erunt in domo, fient virides valde, & videbitur quaſi volant virides ac nigræ.

Vt domus videatur tota viridis & plena ſerpentibus, ac imaginibus timoroſis: accipe cutem ſerpentis ac ſanguinem alterius ſerpentis maſculi, & adipem alterius ſerpentis, aggrega illa tria, & pone ea in panno exequiarum, & accende ipſa in lucerna noua.

Si vis facere candelam vel licinium, quæ cum accenditur, agitatur & ambulat, accipe cutem lupi, cutem canis, & fac ex vtriſque licinium, & accende ipſum cum oleo oliuæ, & ſtatim mouebitur.

Quando vis accendere lucernam, ex quo valde timeat quis. Accipe pannum lini nouum, album, & fac ex eo licinium, & pone in concauitate eius cutem ſerpentis, & ſalem groſſum, & ſaccratum oleum oliuæ, & da cui vis, & ſtatim cum accenſum fuerit ipſum, trepidabit, & timebit valde.

Dicunt

Dicunt Philosophi, quod syncipùt est prima pars capitis, & ex syncipite hominis parum post mortem generatur vermis, cumque prætereunt ei dies septem, vermes illi sunt muscæ, & post quatuordecim dies sicut dracones magni, quorum vnus si momorderit hominem, morietur statim: quod si tu acceperis ex ea, & coxeris illud cum oleo, & feceris ex eo candelam in lucernam æris cum licinio ex panno exequiarum, videbis ex eo rem magnam, & formas, quæ narrari non possunt cum timore forti.

Experimentum mirabile, quod facit homines ire in ignem sine læsione, vel portare ignem, vel ferrum ignitum sine læsione in manu. Recipe succum bismaluæ & albumen oui, & semen psylii & calcem, & pulueriza, & confice cum illo albumine oui succum raphani, ex hac cõfectione illinias corpus tuum vel manum, dimitte siccari, & postea iterum illinas, & post hoc poteris audaciter sustinere ignem sine nocumento.

Si autem velis vt videatur ardere illud

lini-

linitum, asperge de sulphure viuo bene puluerizato, & videbitur comburi, cum accenditur sulphur, & nihil ei nocebit, si flammæ candelę, quam quis tenet in manu, colophoniam vel picem græcam insufflaueris subtilissime tritam mirabiliter auget ignem, & vsque ad domum porrigit flammam. Vt ignem illæsus portare possis, cum aqua fabarum calida calx dissoluatur, & modicum tere reboæ demislina, postea parum maluaueſci adiicias, quibus insimul coniunctis vel commixtis palmam illinias, & desiccari permittas: & sic ignem illæsus portare poteris. Et est verum & experimentatum.

Aquam ardentem sic facias: recipe vinum nigrum, spissum, potens ac vetus, & in vna quarta ipsius distemperabis viuæ calcis sulphuris viui, subtilissime puluerizati, tartari de bono vino & salis communis albi grossi, postea pones in cucurbita bene lutata, & desuper posito alembico, distillabis aquam ardentem, quam seruare debes in vase vitreo.

Ignem græcum sic facias: Recipe sulphu-

phurem viuum, tartarum, sarcocollam, picolã, sal coctum, petroleum, & oleum commune, fac bullire bene, & si quid imponitur in eo accenditur, siue lignum, siue ferrum, & non extinguitur nisi vrina, aceto vel arena.

Si vis facere, quod cesset omne mirabile, respice alias causas, scilicet agentem, sufficiens etiam patientem, quoniam si vtrumque respicis non miraberis, quia videbis tantam aptitudinem esse in vna sufficiencia alterius, quod non facit admirari: quando enim vides, quod aqua frigida accendit ignem, & non extinguit ipsum, si tu respiceres causam agentem, mirareris semper, quia esset efficiens cõueniens ad hoc, sed quando tu respicis materiam illius effectus, vt patet, quia est calx & sulphur, quod est valde inflammabile, ita quod nimium agens inflammat ipsum, tu vides quod nihil est mirabile.

Similiter quando res aliqua si comburitur igne, mirabile est, quando vna de causis inspicitur sola. Sed quando scitur natu-

natura patientis aut debilitas agentis, nihil mirum: maxima ergo radix experimẽtorum naturalium est in hoc, scilicet vt eligam materiam paratissimam ad aliquid, & hoc debile agens aut fortissimũ, & materiam valde indispositam, & faciunt similiter homines aspicere ad illam causam, quæ non videtur posse illud facere, & de illa nihil dicunt. Et tu nota istud, quod secundum istum modum incidit multitudo experimentorum multorum mirabilium, & de hoc narrabo tibi quædam istorum, vt confirmeris in virtute prædicta, & scias etiam excogitare ingenia experimentorum.

Si vis facere Carbunculum, vel aliquam rem lucentem in nocte: recipe noctilucas lucentes quamplurimas, & ipsas contritas pone in ampulla vitrea, & claude, in fimo equino calido sepelias, & dimitte morari per quindecim dies, postea distillabis ex eis aquam per alembicum: quam repone vase de Cristallo aut vitro. Tantam enim præstat claritatem, quod in loco obscuro quilibet potest le-

gere & scribere: quidam faciunt hanc aquam ex noticulis felle mustelæ, felle furonis, & canis aquatici, sepeliunt in fimo & distillant ex eis aquam.

Aquam ardentem sic facias, recipe serpentinam, quam distillabis per alembicum velut aqua ardens exibit: etiam misce vino aut cui vis, & accenditur si appropinquas ei candelam.

Ignis volans: Accipe libram vnam sulphuris, libras duas carbonum salicis, libras sex salis petrosi: quæ tria subtilissime terantur in lapide marmoreo, postea aliquid posterius ad libitum in tunica de papyro volante, vel tonitrum faciente ponatur.

Tunica ad volandum debet esse longa, gracilis, puluere illo optime plena, ad faciendum vero tonitrum breuis, grossa & semiplena.

Ad congregandum mures vel serpentes. Accipe serpentem in aliquo vase multis foraminibus perforato inclusum, & accende ignem de stipulis in circuitu, statim serpens sibilabit, ad cuius clamo-

rem

rem omnes concurrunt. Et sic etiam de muribus intelligatur.

Nota, quod si coxeris vnum serpentem vel vermem, & de massa illius vermis detur alicui comedere, intelliget quando canunt. Hoc probatum est.

Dicitur etiam quod herba saponaria lauat maculas vnctuosas de pannis.

CAP. II.

De cura Characteristica per imagines & sigilla.

NOn omnino vana esse, quæ de cura characteristica, quæ de sculptis imaginibus, & de collo appensis naturales operationes perficit, per cœlestes proprietates siderum mirabili influentia, cum nostris corporibus concordantium, non inquam, plane vana esse, omnes saniores Philosophi agnouere, quæ scilicet antiquissimi naturæ exploratores, de verbo scripto, seu characteribus & sigillis, certis temporibus, secundum cœli virtutem & influxum fabrefactis, citra omnem, quam sola mysterij huius ignorantia finxit, superstitionem, citra nominis diuini propha-

phanationem, & offendiculum, vllamque fidei, & religionis violentiam, literis, monumentisq́ consecrarunt. Non tamen hisce imaginibus per se virium quid tribuitur, characteresque seu nomina constellata virtutem habere ratione figuræ, affirmatur (cum figura, numerus, magnitudo, situs, continuique solutio nullius sunt actionis principia) vt, nisi aliud sit agens mouensque, cuius potestate characteres sunt efficaces plane negetur. Deus per Prophetas solo prolato verbo hominem sanat: viuus siquidem Deus est, & viui Dei viuum quoque nomen, & viui nominis viuæ quoque literæ, viuit Deus propter se, viuit nomen eius propter ipsum, & viuunt literæ propter nomen, & sicuti vitam habet in se ipso Deus, sic etiam nomini suo dedit vitam habere in seipso, & nomen porro literis. Sunt igitur imagines seu characteres efficaces ratione virtutis seu officij à Deo vel natura ad tale nomen vel characterem ordinati. Nulla enim & virtus vel in cœlo, vel in terra, quæ non descendat à Deo: sic medicamenta sunt corpora visibilia, verba corpora inuisibilia, siue herba siue verbum sanet, in causa est Deus, id est, spiritus Dei naturæ coadunatus per verbum Fiat. Vnde ipsa herba non est medicina,

sed

ſed hæc in illa latet inuiſibiliter à Deo videlicet inſita. Quapropter non protinus ad orcum vſque ſunt damnanda, inſulſeque deridenda, quæ à ſenſibus ſunt remotiora, & cauſas habent abſtruſas.

Gemmarum miracula quis non obſtupeſcit? Plurimas certe ijs eſſe facultates naturales negari non poteſt nec debet, præſertim ſi certis ſub conſtellationibus ſculptæ, imaginibuſque ac ſignaturis impreſſæ fuerint & ſignatæ. Ac plane vanum eſt, quod quidam putant, effectus gemmarum quarundam prouenire vi magica, nec naturales eſſe, proficiſcique ex Magorum ſchola, qui prætextum ſuis veneficiis quærant per gemmas certis conſtellationibus ſculptas. Smaragdum mortui Domini digitis, quibus fuit geſtatus, obſilire, cognitum eſt & compertum. Turcoſiæ quoque vires quis non miratur? Et innumera poſſunt non tantum gemmarum, ſed etiam plantarum experimenta coaceruari, quæ ſi non vbique, & ſemper reſpondent, non arguenda ideo ſunt mendacij, quia non omnia vbique & ſemper concurrunt, & raritas effectus ſeu ſingularitas effectus non tollit cauſam in natura. Rerum enim miracula perpetrantur per debitam

causarum naturalium agentium cum dispositis patientibus applicationem, adeo occulte, vt causa videatur remotissima. Itaque vesanum est diabolicis machinamentis protinus asscribere, quæ à nostris sensibus sunt remotiora, nō cogitantes, latentem naturæ vim quæ diuinum diuinæ potentiæ est instrumentum, multum posse sine diabolorum ope & auxilio. Sic Vesani sunt, qui superstitionibus dediti etiam manifestissima pene præ ignorantia aut stolida dubitatione, ex occultis prodire causis asserunt, vt & in eodem vesaniæ pelago nauigant, qui præter odorem, colorem, & saporem nullas alias vires plantis quibusdam inesse arbitrantur, quasi naturalis illa cœlestium cum elementaribus conspiratio efficere non posit. vt præter qualitates primas tactiles & sensuales occultas etiam vires possideant sine Magicis incantamentis, & anili superstitione, id quod naturales cum experientia effectus demonstrant. Quare in singulari facto non aliam, præterquam quæ nobis videtur esse causam.

Quis enim negare potest, diuinitus aut genij alicuius virtute, aut etiam causis accidentarijs & fortuitis, posse produci effectum similem naturali. Et sufficit Physico ostendisse effectum talem

lem

lem vel talem esse causarum naturalium, aut semper, aut plerunque. Et licet non semper respondeat euentus, non tamen ideo naturæ motus est denegandus, siquidem ad vnum sæpe effectum raro concurrunt causæ omnes, quod licet ex illis æstimare, quæ ob raritatem, varietatem & singularitatem pro miraculis habentur & prodigiis, hæc enim causas habent naturales, raro tamen ad effectum talem dispositas, aut omnes paratas.

Itaque si effectus est naturalis, etiam causa talis erit, & contra. Iam autem imaginum sub certis astris sculptarum effectus naturalis omnino est, ergo causam quoque naturalem esse necesse est. Licet vero hæc sit occulta & abstrusa, àque sensibus exterioribus remotior, non tamen ilico ad diabolicam quandam potestatem confugiendum, sed attendendum, quibus auxiliis quibusque causis concurrentibus fiat aut non fiat effectus, èque mirabilibus causis naturalibusque effectis mirabilis potius Dei potentia agnoscenda & prædicanda, qui cum tantas virtutes tamque mirabiles in naturam manifestam inseuit, quantus, dic amabo te, ipse in suis occultis erit?

Cap. III.

Sigilla magica.

HIs ita præstratis, pro vita saluberrima producenda, honoribusque ac diuitiis augmentandis Iouis sigillum atque imago fabricatur sculpiturque in lapide albo vel claro, vel etiam argento puro aut stanno, ipso tamen Ioue, quod inprimis in hoc mysterio obseruandum est, existente vel in suo domicilio, vt sagittario vel piscibus, vel etiam exaltatione, vt Cancro, libero ab omnibus impedimentis, præcipue vero à radiis malis Saturni vel Martis: in angulo etiam sit Orientis vel Medio Cœli, ascendens in circulo augis, directus, velox cursu, non à Sole combustus, orientalis, in gradibus lucidis, & fortunam augentibus, in Lunæ vel Veneris trigono aut sextili, quæ omnia diligentissime ab Astrologiæ perito obseruari necesse est.

Sic idem Iupiter contrarium operabitur, si retrogradus fuerit, combustus, afflictus à Saturno vel Marte, in malo cœli

loco,

loco, non in domicilio vel exaltatione, &c. Idemque iudicium esto de cæteris etiam Planetis.

Eundem in modum fabricatur imago Martis in 1. facie Scorpionis Orientis, contra timiditatem & pusillanimitatem.

Ad fauorem Regum & Principum conciliandum, morbosque calidos cordiales curandos, Imago Solis in auro puro prima Leonis facie ascendente: ipse vero Sol in leone sit fortis & fortunatus.

Ad lætitiam, venustatem roburq; corporis Imago Veneris poma floresque tenentis manu, ascendente cum ea prima facie Libræ, Piscium vel Tauri.

Ad ingenium & memoriam acuendam imago Mercurij orientis cum prima Geminorum facie vel Virginis: vel contra morbos, odia, & itinera feliciter conficienda à gradu 17. Virginis vsque ad finem ferè eiusdem signi.

Ad podagram curandam indubitanter valere piscium figuram in auro vel argento, seu auro argento permixto,

sculptam, Sole permeante Pisces in ascendente aut domo decima, ab infortuniis saluo & libero, domino etiam signi videlicet Ioue Saluo: vel etiam Luna medium cœli tenente Marte non præsente, & Ioue non retrogrado, soleque supra terram existente, si piscium imago fiat in prima piscium facie, eundem præstare effectum antiquissimis monimentis proditum reperitur: in secunda vero facie factam sanare tibiarum morbos, in tertia morbos genuum & coxarum.

Ad morbos gulæ & colli faciebant figuram tauri in facie tertia, Sole existente supra terram eamque in cupro multum rubente.

Ad morbos capitis difficiles & difficulter curabiles fabricatur figura arietis, Martis & Saturni existentibus directis, Ioue non existente in ariete, nec Venere in Scorpio, nec Mercurio in tauro, à gradu primo vsque ad 5. primæ faciei arietis: Sole autem existente in ariete eandem obtinebit virtutem.

Ad bona & honores adipiscendos,

mor-

morbosque cerebri frigidos curandos imaginem Lunæ conferre in purissimo argento vel crystallo, ita vt Luna existat in Cancro, atque in fortunis sit libera, in Oriente fortis & fortunata, experimentis patefactum esse Doctores antiqui asserunt, adque eundem quoque effectum consequendum positus eiusdem in tauro efficax est, quo in signo exaltatur.

Ad ventris ægritudines curandas figura cancri facta hora Saturni, cancro existente in medio cœli, & Saturno in secunda facie, omni auro præstare dicitur, omnibus morbis resistendis expellendisque idonea.

Ad tristitiam abigendam & melancholicam desipientiam, figuram Capricorni prodesse proditum est, ita tamen, vt Mercurius non sit retrogradus, sitque cum Venere supra terram, Venus autem sit in parte Orientali, Saturnus vero sub terra: conficiendum autem sigillum est in prima facie, Solis aut Mercurii die, Solis tamen hora.

Ad sensum corruptum & deperditum,

morbosque manuum inprimis dextræ commendari video Imaginem Sagittarij factam de auro vel argento in prima facie primi gradus vsque ad 5. die Solis & hora eius: hæc figura habet vim expellendi infirmitates, Saturni, Veneris & Martis, oportet autem Saturnum non esse retrogradum, nec Martem in 12. domo, sicut nec Iouem in quarta, Sole quoque supra terram existente.

Atque hæc sunt sigilla & sculpturæ Planetarum & constellationum quarundam cœlestium, à diuersis autoribus repertæ, sequuntur ordine, quæ in antiquissimorum Sophorum & Doctorum monumentis consignatæ imagines inueniuntur, quæ multarum mirandarumque virium esse perhibentur, si in conuenientibus lapidibus sculptæ magna cum reuerentia & deuotione gestentur & custodiantur: & primo quidem inter vetustissimi illius & summi Rhagaelis arcana fuerunt.

Draconis formosi imago, si in Rubino, siue in alio lapide similis naturæ sculpta

pta fuerit, ſcias virtutem eius eſſe in augendis bonis huius ſeculi, geſtantemque hilarem & ſanum efficere.

Falconis imago, ſi in Topatio ſit ad acquirendam beneuolẽtiam Regum, Principum & magnatum facit.

Aſtrolabii imago ſi in Granato ſculpta fuerit, virtus eius erit ſanum reddere geſtantem, & ab omnibus ægritudinibus aduerſiſque caſibus in itinere liberum.

Aſini imago ſi in Chryſolito ſit, virtus eius erit futura progn oſticare & prædicere, (quantum ſcilicet poteſt euadere in humanam imbecillitatem, verè enim futura prædicere ſolius eſt Dei.

Arietis vel capitis hominis cum barba imago in Sapphyrio ſculpta virtutem habet in ſanandi & liberandi à multis infirmitatibus, & à carcere, omnique moleſtia, eſtque imago regia, dat enim dignitates & honores, ac in altum extollit.

Ranæ figura ſi in Berillo ſculpta erit, virtutem habet inimicos reconciliandi, & amicitiam inter homines, ſi diſcordes ipſa tetigeris.

Cameli capitis, & duarum caprarum inter myrrhi arboris imago, ſi in Onyche ſit, virtutem habet conuocandi, congregandi, & conſtringendi dæmonas, ſi quis ſecum portauerit, & in ſomno facit terribilia videre ac mirabilia.

Vulturis imago ſi in Chryſolito ſit, virtus eius erit dæmones frenare & congregare, defendere locum, in quo ponitur à malis ſpiritibus, & ab eorum infeſtatione, geſtantique dæmones facit obedientes.

Veſpertilionis imago, ſi in Heliotropio ſculpta erit, geſtanti potentiam dat reſiſtendi dæmonibus.

Hominis bene ornati imago & habentis aliquid pulcri in manibus, ſi in Corneolo ſculpta erit, virtutem habebit ſtringendi ſanguinem, & ad honores confert.

Leonis vel Sagittarij imago, ſi in lapide ſit, ad venena valet, & à febre liberat.

Hominis armati cum arca & ſagitta imago, ſi in Iride ſculpta fuerit, virtutem habet cuſtodire geſtantem, & loca, in quibus verſatur à malo.

Ho-

Hominis imago cum ense in manu, si in Corneolo sit, virtutem habet præseruare locum, in quo erit à fulgure & tempestate, & gestantem à vitiis, & à fascinatione custodit.

Tauri imago, si in Prassio sit, ad maleficia iuuare dicitur, & in magisteriis gratiam præbet.

Vpupæ figura cum Dragontea herba ante se, si in Beryllo sit, virtutem habebit aquaticos invocare spiritus & loqui cohibere, deque quæsitis ab eis responsa recipere.

Hominis imago cum dextra manu erecta ad cœlum, si in Chalcedonio sit, virtus eius erit vincere ciuiles lites, & gestantem reddere sanum, & in itineribus, ac à causis noxiis præseruare.

Dei nomina in Ceraunia si sculpta fuerint, virtutem habebit præseruare loca, in quibus erit à tempestatibus, & potentiam victoriamque dat gestantibus contra inimicos suos.

Vrsi imago si in Amethysto sit fugiendi dæmones virtutẽ habet, & hominem ab

ab ebrietate defendendi & præseruandi.

Hominis armati Imago in Magnete sculpta, gestantes in bello reddit victoriosos. Hactenus Rhagael.

Cap. IV.

Imagines seu sigilla Chaelis.

CHaël vnus ex filiis filiorum Israel, antiquissimus Doctor, cum in deserto esset, obseruauit, & sculpere fecit multas secundum cursum signorum & planetarum figuras, & maximum effectum in eis agnouit, vtque hæ imaginum virtutes posteris paterent, librum composuit, ex quo sequentia sunt excepta. Sitque benedictus Deus, qui terris tales virtutes dedit in salutem humani generis. (Hęc verba reperiuntur in ipso libro à Chaele conscripto statim in principio.)

Hominis figura sedentis post aratrum, cum longa barba, vultuque longo & superciliis curuatis, in cuius collo sint quatuor homines iacentes, & qui teneat in manibus vulpem & vulturem, si talis lapis, in quo hæc erunt sculpta, collo suspen-

ſpendatur,ad omnes plantationes valet, & ad inueniendum theſauros, nam ſi ſub ceruice,iturus in lectum poſueris, in ſomno videbis theſauros, ac modum extrahendi: eſt & alia eius virtus, ſcilicet conferre ægritudinibus brutorum, cum aquam biberunt, in qua hic lapis lotus fuerit, debet autem ſculpi in die & hora Veneris.

Hominis imago habentis in collo clypeum, & in capite galeam, tenentis in manu gladium, ac conculcantis ſub pedibus ſerpentem, in Iaſpide rubeo ſculpta, ſi collo ſuſpendatur, omnes ſuperabit inimicos in prelio, & maxime ſi commiſſum fuerit die Martis.

Equi imago habentis Crocodilum,ſupra ſe in hiacyntho ſculpta, virtutem habet reddere geſtantem victorem in ciuilibus cauſis,amatum, morigeratum efficit & amabilem,debetque in auro ligari, quia ex auro virtus eius augmentatur.

Hominis figura ſedentis, & mulieris ſtantis ante eum capillis ſparſis verſus renes,& viri ſurſum aſpicientis in Corneo-

lo ſculpta, virtus eius erit, ex omnibus hoc lapide contactis beneuolentiam acquirere: lapidi autem debet ſupponi parum ambræ, & terebinthinæ.

Equi ſpumantis & feruidi, ſuper quem vir niger ſedeat cum ſceptro in manu figura ſculpta in hemathite, regnandi poteſtatem præbet, & amiſſam gratiam reſtaurat, debetque in æquali pondere auri & argenti ligari.

Hominis ſedentis cum accenſa candela in manu imago, ſi in Chryſolito ſculpta fuerit, geſtantem diuitem efficit, debetque in puriſſimo auro ligari.

Cerui aut venatoris, aut canis, aut leporis figura ſculpta, virtutem habet frenandi dæmones, lunaticos, phreneticos.

Mulieris imaginem habentis in vna manu auem, & in alia piſcem ſculptam, ſcias virtutem habere in capiendis piſcibus & auibus; debet in argento ligari.

Imago cuius anterior pars eſt equus, poſterior vero capra, ſi in aliquo lapide ſculpta ſit, dat fortunam in alendis & armandis animalibus ſeu beſtiis omnium gene-

genetum, debetque in plumbo ligari.

Mulieris sedentis cum tuba in equo, seu militis currentis cum cornu ad collum, & cum arbore ante se, figura sculpta in aliquo lapide venatoribus venandi gratiam præbet, si secum portauerint.

Hominis flexis genibus sursum respicientis, & tenentis pannum figura, si in lapide sculpta erit, ac quis secum portauerit, dat gratiam & diuitias in rebus emendis & vendendis.

Scorpionis & Sagittarij ad inuicem pugnantium figura, si in aliquo lapide sculpta fuerit, maleuolos & discordes efficiet concordes, inimicos amicos, ligetur autem in argento.

Vulturis imago cum ramo oliuæ in ore, si in pyrite sculpseris, tecumque portaueris in argento annulo, ad multa conuiuia vocaberis, & omnes te aspicient cum admiratione & stupore

Arietis & Leonis medietatis figura, si in aliquo precioso lapide sculpta fuerit, si discordes cũ ea tetigeris, amabiles & cõcordes efficientur, debetq; in argento ligari.

Mu-

Mulieris in superiori parte, in inferiori vero piscis figura, quæ in manu speculum teneat, & in altera manu ramum in hiacyntho sculpta, digitoque in annulo aureo gestata inuisibiles reddit, voluendus autem annulus cum lapide versus palmam est, palmaque claudenda.

Basilisci, cuius pars vna est fœminæ, inferior vero serpentis figura, si in aliquo preciosorum lapidum sculpta fuerit, virtutem habebit cuncta fugandi animalia venenosa.

Basilisci pugnantis cum Dracone figura, & desuper sit caput hominis in Corneolo sculpta, si collo appendatur, gestanti dabit virtutem superandi omnem bestiam tam terrenam quam marinam.

Hominis nudi inflati figura, cum altera hominis figura bene induti, ac tenentis in vna manu scyphum, in altera vero Ramum herbæ, si in Gagate lapide sculpta fuerit virtutem habere scias liberandi ab omnibus febribus, si per triduum secum portauerit.

Hominis statuam habentis caput bo-

uinum,& pedes aquilæ, ſculptam in aliquo lapide, ſi tecum portaueris,nullus hominum de te male loquetur.

Hominem flectentem genua, & ſurſum aſpicientem, & vnum pannum teneat,in Turcoſia ſculptum,ſcias valere ad emendas & vendendas res.

Scorpionis & Sagittarii inter ſe bellantium figura in aliquo lapide ſculpta, & ligata in annulo ferreo ceræ impreſſa, ſtatim inter ſe diſcordes efficit, quoſcunque ea tetigeris.

Arietis figuram cum medietate bouis in aliqua gemma ſculptam virtutem habere ſcias, ſi in annulo argenteo ligata fuerit,vt quoſcunque ea tetigeris, confeſtim tales concordes fiant.

Fœminæ in ſuperiori & in inferiori parte figura piſcis, quæ in vna manu teneat ſpeculum, & in alia ramum, ſi in Hiacyntho ſculpta fuerit, ligataque annulo aureo, inuiſibilem reddit quandocunque volueris: eſt autem ſigillum cera cooperiendum, digitoque palmam verſus geſtandum.

Ho-

Hominis arantis figura, & supra illum sit manus Domini faciens signum, & iuxta illud sculpta sit stella, si in aliqua gēma sculpta fuerit, & honestissime gestaueris, in qua regione eris, à tempestate non peribis, & fructus terræ similiter in illa non peribunt.

Viri iuuenis tenentis in capite coronam, & sedentis super thronum quadrupedē, & sub quolibet pede sit vir stans, tenens cathedram coll ,sitque circa caput sedentis circulus, & manus eius sint erectæ ad cœlum, si hanc figuram sub Hiacyntho albo sculptam repereris, posuerisque hunc lapidem in argenteo annulo inæquali pondere ad lapidem, & sub lapide modicum mastichis & terebinthinæ; ac feceris sigillum in cera, gestauerisque ad collum, à Regibus & Principibus impetrabis, quicquid volueris, iustissime autem & castissime est gestandus.

Serpentis figuram habentis supra dorsum virum, & super eandem coruum, si in aliquo lapide sculptam inuenies, qui hūc lapidem secum portarit, omnibus abundabit,

dabit, & erit astutus atque prudens.

Viri stantis supra draconem, qui in manu teneat gladium, figuram, si in hæmatithe sculptam inuenies, pone in annulo plumbeo, vel ferreo, & obedient ei omnes spiritus subterranei, & reuelabũt ei omnes thesauros leui carmine, nec non extrahendi modum ipsi ostendent.

Viri stantis & habentis loricam indutam, & in capite galeam, in manu vero gladium euaginatum, figuram, si in aliquo lapide sculptam inuenies & in annulo ferreo tanti ponderis ligaueris, ferenti hunc in prælio nemo resistere poterit.

Viri barbati habentis longum vultum, & curuata supercilia, sedentis super aratrum inter duos tauros, figuram si sculptam in aliquo lapide inueneris, ad plantationes, & ad omnem culturam valet, ad inueniendos thesauros, & bellandum, conuertet inimicos in amicos, & in multis infirmitatibus valet, & si quis eam portauerit, fugient serpentes à facie eius: epilepticos quoq; sanat, & si infans eum portauerit ad collum, timorem ab eo expellit,

pellit, & vexationem malorum spirituum, & si æger portabit, sanitatem recipiet, vtque maiorem virtutem habeat, debet poni in annulo ferreo, in duplici pondere ad lapidem.

Aquilæ stantis figuram, si in æthite sculptam inuenies, & in annulo plumbeo ponens, ferens eum erit acceptus & amatus ab hominibus, & animalia obedient ei.

Arietis & simul Leonis figuram si in aliquo pretiosiorum lapidum sculptã inuenies, & in argenteo annulo ligaueris, si cum eo discordes tetigeris, concordabũt.

Capricorni signum sculptum in Corneolo, aut in alio lapide, in annulo argenteo liga, & tecum porta, nec enim personaliter nec oraliter ab inimicis læderis, nec iudex contra te iniustam sententiam dicet, in negociatione & honore abũdabis, & amicitiam multorum acquires, & omnes fascinationes, quæ contra te factæ fuerint, destruentur, in prælio quoque nullus inimicus, quam etiam fortis fuerit, tibi resistere poterit. Hæc Chael.

CAP.

CAP. V.

Sigilla seu imagines Hermetis.

HErmes *lib. quadripart.* 14. has commemorat imagines:

Hominis imago sculpta in diadochoc stantis, & magnæ staturæ, tenentis in manu dextra obolum, & in alia serpentem; sitque super caput hominis figura Solis, & prostratum teneat sub pedibus Leonem, si posita fuerit in annulo plumbeo cum modico arthemisiæ ac radice fœni græci, tecumque habueris in ripa fluuij, & vocaueris aquaticos spiritus, ab eis de quæsitis responsa accipies.

Hominis figura stantis ac tenentis fasciculum herbæ collo appensum cum grossitie renum & amplitudine spatularum, si in viridi Iaspide sculpta erit, scias ipsam auxilium præbere febricitantibus, & à febre liberare, & si quis artem medicinæ exercet secumque portauerit, in discernendis ægritudinibus & cognoscendis medicinis & herbis, in dandis-

quepotionibus maximam gratiam præbet, inque omni hæmorrhagia & fluxu ſanguinis iuuat, protinuſque compeſcit.

Turturis marini imago, ſi in lapide marino ſculpta ſit, & in annulo plumbeo ligata feratur, non poterit lædi ab aliquo, & à ſenioribus & dominis terrarum diligetur.

Aquarij figura ſi ſculpta fuerit in viridi Iaſpide, & quis ſecum portauerit, lucrum præbet in vendendis & emendis rebus, & ab eo mercatores conſilium quærent, & in ſuum domicilium merces portabũt. Auis quæ in ore folium tenet, & in eius conſpectu ſit caput hominis aſpicientis ipſam auem, ſi in lapide Pangone ſculpta ſit, eamque in auro ligaueris, & tecum portaueris, diues eris, & locuples, & ab omnibus venerabilis.

Iouis figura, quæ eſt hominis ſedentis ſuper cathedram quadrupedem, ſintque ibi quatuor homines ſtantes ante Iouem, ſintque manus Iouis erectæ cœlum verſus, & in capite habeat diadema, ſi in Hiacyntho ſculpta erit, ac in

auro

auro ligata, & quis talem annulum secum portauerit, seu figuram huius annuli impressam in cera collo suspendet, à regibus & sapientibus quicquid voluerit, impetrabit.

Hominis imago habentis vultum Leonis, & pedes aquilæ, & sub pedibus eius sit draco, & cauda sit extensa, in manu vero ipsius hominis sit baculus, cum quo percutiat caput draconis, si in crystallo sculpta erit, aut in aliquo precioso lapide, & ligata sit in orichalco, & sub lapide sit moschus & ambra, si quis fert secum talem lapidem, habebit spiritus obedientes, ac magnas facultates accumulabit.

Hominis sedentis super aquilam, ac in manu virgam tenentis imago, si in crystallo sculpta fuerit, & in annulo æreo, seu cupreo ligata: si quis hunc annulum in die Solis ante exortum ipsius aspexerit, omnes inimicos suos vincet, & superabit, si in die Iouis aspexerit victor belli erit, libenterque omnes homines ei obedient, sed oportet gestantem vestiri

albis vestibus & à Columbina carne abstinere.

Hominis figura equitantis, ac tenentis in vna manu frenum, & in alia arcum tensum, & habentis gladium cinctum, si in pyrite lapide sculpta fuerit, & in annulo aureo ligata, & quis secum portauerit, eum victorem reddet in prælijs, nec quis ei resistere poterit.

Mulieris imago habentis crines sparsos super mammillas, & in eius conspectu sit vir quasi adueniens, faciensque ei aliquod amoris signum, si in Hyacintho seu crystallo sculpta fuerit, ac in auro ligata, & sub lapide sit ambra, aloes & artemisia, ferenti hunc lapidem in annulo omnes obedient, & si mulierem cum eo tetigeris, amabit te, & si capiti supposueris, cum vadis dormitum, quicquid volueris, videbis.

Hominis imago sedentis supra piscem, & super caput hominis sit pauo, si in lapide sculpta sit rubeo, & ipsum sub tabulam in conuiuio posueris, nemo comedens cum dexrra, satiabitur.

Ho-

Hominis nudi stantis figura, & à dextra eius sit puella stans, cuius capilli sint ligati circa caput, & vir teneat dextram suam supra collum puellæ & sinistram supra pectus, aspiciatque vultum eius; ipsa vero in terrá, si in aliquo lapide sculpta erit, ac in ferreo ligata annulo, & sub lapide sit parum linguæ passeris, vpupæ, myrrhæ, aluminis, sanguinisque hominis, qui hunc annulum portauerit, inuictus erit, nec vllus poterit ei resistere, nec fera áliqua ei nocebit: Epilepticis quoque valet, si ceram rubeam signaueris cum eo, & si ad collum canis ponatur, latrare non permittit.

Hominis imago tenentis in manu flores, si in Corneolo sculpta erit, ac in annulo stanneo posita, & annulus fabricatus fuerit die Lunæ aut Veneris, 4. 8. aut 12. hora, tange quem volueris hoc annulo, & obediet tibi.

Hominis barbati figuram habentis vultum longum, superciliaque curua, sedentis super aratrum inter duos tauros, habentisque vulturem in manu, in lapide

ſculptam, ſcias virtutem habere in plantatione arborum, & inuentione theſaurorum, ac victorem in prælio efficere: ſerpentes à facie geſtantis fugantur: epilepticos ſanat, omnemque vexationem malorum ſpirituum tollit, debet autem in annulo ferreo ligari, & geſtari.

Hominis tenentis falcem in manu ſuper caput ſuum, figura & ſub pedibus crocodilum, ſi in lapide ſculpta erit, ac in annulo plumbeo ligata, & ſub lapide ſit parum radicis ſquillæ, qui ſecum hunc annulum portauerit, ab inimicis ſecurus erit, & in itinere à latronibus.

Hominis figura tenentis gladium in manu, & ſedentis ſupra draconem, ſi in amethyſto ſculpta fuerit, ac in plumbeo annulo, vel ferreo ligata, & in digito feratur, ſpiritus obedient, reuelabuntque ei qualeſcunque theſauros.

Aquilæ ſtantis figura, ſi in æthite lapide ſculpta fuerit, & in annulo plumbeo ligata, virtutem habet, qui ſecum portauerit capiendi multos piſces, nec vlla fera ei nocebit, àque hominibus diligetur.

Ho-

Hominis habentis in manu palmam figura, si in aliquo lapide sculpta erit, reddit gestantem gratum, & amabilem potentibus & principibus. Hæc ex Hermete.

CAP. VI.

Imagines, seu sigilla Thetelis.

THetel vetustissimus Doctor tractans de sculpturis lapidum, ait, has sculpturas in conuenientibus lapidibus repertas, maximam habere virtutem.

Hominis imago sculpta in Iaspide habentis scutum in sinistra, & in dextra idolum, vel aliquid bellicosum, & loco pedum sint viperæ & loco capitis hominis sit caput Galli vel Leonis, virtutem dabit contra inimicos, & victorem gestantem reddit, valetque aduersus venena, sanguinem quoque stringit à quacunque parte fluat.

Hominis figura habens fasciculum herbæ in collo, si in Iaspide sculpta fuerit, virtutem habet discernendi, seu cognoscendi infirmitates, sanguinem à quocun-

cunque loco fluat, frenat: dicuntq; hunc lapidem habuiſſe Galenum.

Crucem ſculptam in Iaſpide viridi, dicunt habere potentiam liberandi geſtantem ab aquæ ſubmerſione.

Fœmina habens in vna manu auem & in altera piſcem: ſi ſculpta fuerit in Chryſolito, ad negociandum multum valet.

Lupi figura ſculpta in Iaſpide contra aſtutiam valet, & inſana verba prohibet proferre.

Cerui figura in Iaſpide ſculpta virtutem habet ſanandi & liberandi lunaticos & phreneticos.

Imperatoris figura in Iaſpide ſculpta cum capite erecto, geſtantem reddit amabilem ab omni creatura, & quicquid petierit, obtinebit.

Virginis figura cum veſte profuſa tenentis in manu laurum, ſi ſculpta fuerit in Iaſpide, geſtantem efficit ſecurum à ſubmerſione aquæ, nec à Dæmone vexabitur, facitque potentem, & omnia impetrantem.

Hominis figura habens in manu inſcri-

scriptam palmam, si in Iaspide reperiatur, potentem reddit gestantem principibusque gratum. Hactenus Thetel.

Cap. VII.

Sculptura Salomonia.

Vetustissimus inuentus est libellus in deserto apud filios Israëlis, qui, quoniam in eo multa Salomonis opera reperiebantur, Salomoni fuit asscriptus. Titulus libri erat: De Sigillis lapidum secundum nomen tuum Domine, & secundum cursum stellarum.

Hominis sedentis super aratrum figura, habentis collum paruum & prolixam barbam, quatuorque homines iaceant in collo ipsius, & teneat in vna manu vulpem, in altera vulturem, scias istud sigillum collo appensum ad omnes valere plantationes, omnesque thesaurorum inuentiones: probationem autem istius sic instituies. Accipe lanam nigram puram sine tinctura, inuolue lapidem, poneque inter paleas tritici, & capiti suppone, videbis tunc in somno omnes the-

ſauros iſtius regionis in qua fueris, ſimulque habet virtutem ſanandi omnes beſtiarum languores, ſi aquam, in qua lotus fuerit, biberint.

Hominem ſculptum in Iaſpide viridi, qui habeat clypeum pendentem in collo, & ſupra caput galeam cum gladio erecto, pedibuſque calcet ſerpentē, appone collo, & non timebis vllum inimicum, in omnibus rebus eris victor maxime vero Martialibus, debetque ligari in ære.

Equus gerens in dorſo crocodilum in hiacyntho albo ſculptus, amabilem facit hominibus & beſtiis.

Hominis ſedentis figura, & mulieris ſtantis ante eum, habentis capillos extenſos vſque ad femur, leuantis vero oculos ſurſum, ſi in Corneolo ſculpta fuerit, ſcias virtutem eius eſſe, omnem hominem tam marem vel fœminam reddere obedientem, debetque in tanto pondere auri ligari, quantum ipſe lapis habet, ſubtus autem pone betonicam & ambram.

Equum ſpumantem cum viro ſupra ſe tenētis ſceptrū manu, in amethyſto ſcul-

ptum,

ptum, ſcias illud ſigillum prodeſſe ad omnes res quas habet, qui illud gerit, omneſque principes & primates erunt ei obedientes, debet autem ligari in auro vel argento in duplo ad ſigillum.

Capitis hominis cum longa barba ac modico ſanguinis circa collum, ſi in adamante imago ſculpta reperiatur, ſcias ad victoriam audaciamque conferre, & corpus ab omni læſione præſeruare, valetq; ad impetrandam gratiam à principibus.

Hominis volentis inſtrumentis ludere figura in ſapphyro ſculpta gratioſiſſimum omnibus reddit.

Galli imago, vel trium puellarum, ſi in Achate reperiatur, hominem gratioſum apud Deum & homines reddit.

Leonis figura in granato ſculpta diuitias præbet & honores, lætificat, triſtitiamque expellit.

Cerui aut columbi imago in Onyche ſculpta geſtanti præbet animoſitatem aduerſus dæmonas.

Hominis figura in ſimilitudine mer-

catoris portantis merces ad vendendum, aut hominis ſedentis ſub centurione, ſi in Smaragdo reperiatur, dat diuitias, victoremque reddit, & ab anguſtiis ſubleuat.

Tauri vel vituli imago in Magnete reperta, portanti felicia præbet itinera per omnia, valetque contra omnes incantationes.

Equi aut lupi figura in Iaſpide reperta febres fugat, ſanguinemque ſiſtit.

Hominis figura coronati in Topatio geſtantem efficit bonum morigeratum, dilectumque Deo & hominibus, præbetque honores ac dignitates.

Hominis armati cum enſe in manu, ſi in Sardio vel Amethyſto ſculpta reperiatur imago, gerentem acquirere facit perfectam & bonam memoriam, redditque prudentem.

Cerui vel hirci figura in Chalcedonio reperta ſculpta, virtutem dat augendi diuitias ſi in capſula pecuniaria reſeruetur.

Leporis imago in Iaſpide portantem à nullo dæmone lædi patitur.

Lo-

Locusta marina in Berillo sculpta, rixas conciliat, & matrimonium in amore coniungit.

Nocticoracis figura quia Palladis auis est, sculpta in lapide qui facit ad scientiam, hominem facit scientissimum & eloquentem.

Pauonis imago sculpta in conueniente lapide gestantem reddit diuitem.

Hominis figura interficientis Leonem, aut aliam bestiam cum gladio, gestantem astutum, victoriosum & amabilem reddit.

Hominis tenentis laurum vel palmam in manu dextra imago portantem efficit causarum & præliorum victorem amabilem & potentem in regione sua.

Hominis alati figura habentis sub pedibus serpentem ac tenentis caput eius in manibus, gestantem diuitem, prudentem & amabilem reddit omnibus.

Formicæ habentis spicam vel granum in aliquo lapide sculpta imago ad diuitias valet acquirendas.

Galli figura tenentis rostro coronam

vel Zonam in duello victoriam dabit, præsertim si in gallinaceo fuerit.

Hominis stantis cuius caput sit bouis, pedes vero aquilæ figura, in gemma aliqua sculpta si inueneris, inque ceram impresseris, nullus hominum de te male loquetur.

Basiliscum & draconem inter se pugnantes, si in Corneolo inueneris sculptos, sitque ibi caput bouis, bellaturus applicet collo, omnesque bestias vincet tam marinas, quam terrestres.

Hominis nudi inflati & coronati, tenentis in vna manu scyphum, in altera ramum herbæ, figuram in gagate sculptam, ligatamque in annulo cuiusuis metalli febricitantem, si gestauerit, protinus à febre liberat.

Viri sedentis super pisce figura in Iaspide rubeo sculpta, pannoque alicuius imposita, conuiuantē si cum dextra comederit, non saturari faciet.

Mulieris figuram habentis crines sparsos vel mammillas nudas, inque conspectu eius sit vir cernens eius faciem, si in

hia-

hiacyntho, granato vel cryſtallo inueneris ſculptam ligaueriſque in annulo aureo, tanti ponderis vt lapis eſt, ſub vero lapide ſit ambra, aloes, polypodium, geſtantem efficiet omnibus amicabilem, ſique ſupponatur capiti, in ſomno videbit, quæcunque voluerit.

Viri equitantis & tenentis in manu frenum, & in alia arcum cum gladio cincto, figuram, ſi in pyrite ſculptam inuenies, ligeturque in annulo aureo, geſtantem victorem reddit in prælio, cui nemo reſiſtere poterit, & ſi quis hunc annulum ſubmerſerit in oleo muſchato, omnes ipſum pertimeſcent, ſi inunxerit vultum ſuum in oleo, nec ei poterunt ſe opponere.

Viri ſtantis qui ſit nudus, & à dextris eius ſit puella nuda ſtans, eiuſque capilli ſint ligati circa caput, figuram, ſi in magnete ſculptã inuenies, & vir teneat dextram ſuam ſuper collo puellæ, ſiniſtram vero ſupra pectus, & vir aſpiciat vultum puellæ, hæc autem terram, pone in annulo ferreo tanti ponderis, quanti eſt lapis, in-

includeque sub annulo vpupæ linguam, myrrham, alumen, & de sanguine hominis, quantum linguæ pondus est, ferenti hunc annulum, nullus inimicus poterit resistere in conspectu eius, siue in bello, siue alibi, nec latro, nec fera nocens poterit intrare domum, in qua hic nominatus lapis fuerit, & si epilepticus aquam biberit, in qua lotus fuerit, sanabitur. Cera quoque rubea si eo signetur colloque canis fuerit appensa, latrare prohibebit.

Militem super equo currentem cum cornu ad collum, & cum arbore ante ipsum, sculptum in pretioso aliquo lapide, scias valere ad omnes venationes.

Fœminam tenentem in vna manu auem, in altera piscem, in crystallo sculptam, scias valere ad capiendum aues, debetque ligari in argento.

Hominis figuram cum hircino capite loco sui, scias valere ad acquirendum diuitias.

Aquilæ figura in crystallo sculpta gestantem reddit diuitem, victoriosum & eloquentem.

Cornutum animal, quod equum subtus se ferat, & equus retro se ducat medietatem capræ, sculptum pretiosiore aliquo lapide; scias plurimum valere ad domandum quamcumque bestiam, debetque ligari in annulo plumbeo.

Turturis figuram, si in Pangone inueneris sculptam, & in annulo plumbeo ferens nunquam vulnerabitur, nec malum accipiet, sed honorabitur ab omnibus, maxime à Senioribus.

Auis tenentis folium in ore, sitque in ore & conspectu eius caput hominis aut vulturis, figuram, si in auro sculptam inueneris, ferens ex omnibus, quæ empturus est & venditurus, lucrum acquiret, à que emptoribus inuestigabitur.

Leonis vel draconis vultus habentis duo capita cum cauda delicata, vel viri in cuius dextra sit bacculus, & percutiat caput Leonis, figuram, si in crystallo sculptam inueneris, posuerisque in orichalco, sub lapide vero moschum & ambram, tecumque portaueris, omnes tibi obedient, facultemque tuam amplificabis,

bis, ſignata cum ea cera eandem habebit virtutem.

Equi alati, qui Pegaſus dicitur, figuram, ſi in aliquo lapide ſculptam inuenies, optima eſt militantibus & in campeſtri bello dat audaciam & alacritatem.

Viri & ſerpentis circumdantes viſum, figuram, ſi in aliquo lapide ſculptam inuenies gerenti ſcias præbere victoriam in prælio campeſtri.

Arboris, vel vitis, vel ſpicæ figura in aliquo lapide ſculpta geſtantem facit in victu & amictu abundare, principeſque reddit beneuolos.

Mars armatus vel virgo ſtolata cum circumfluxa veſte tenens in manu laurũ, in laſpide ſi inueniatur, potentem geſtantem reddit ad arma perficienda, & à morte violenta, aquæque ſubmerſione liberat, caſibuſque aduerſis.

Hominis armati in equo cum lancea figura in amethyſto ſculpta facit geſtantem victorioſum in campeſtri bello.

Herculis figuram, tenentis in dextra clauam interficientis Leonem, vel aliud

liud monſtrum, ſi in lapide ſculptam reperies, ſcias præbere victoriam in campeſtri pugna.

Iouis figura, quæ ſit in forma hominis cum arietis capite, geſtantem facit amabilem, citoque impetrantem quicquid voluerit.

Virgo aut puella cum lampade in cryſtallo ſculpta, virtutem habet cuſtodiendi oculorum lumen.

CAP. VIII.

De triplicitate ſignorum imagines.

IGneæ triplicitatis, id eſt, Arietis, Leonis & Sagittarij figura ſculpta in lapide pretioſo omnibus frigidis ægritudinibus valere perhibetur, opitularique febribus phlegmaticis, & ob Planetarum, qui in illis ſignis tenent dominium, dignitatem, reddere Deo & hominibus gratum, facundum, ingenioſum, honorumque & dignitatum facile potiri valentem: debet autem ita ſculpi, vt in triangulo Leo teneat conum, aries in baſi dextram, Sagittarius ſiniſtram.

Ter-

Terreæ triplicitatis, id est, Tauri, Virginis & Capricorni, imago lapidi insculpta omnibus calidis & humidis ægritudinibus auxilium præstabit, gestantemque inclinabit ad opera ruralia, vt fundare, plantare, seminare, vineas excolere & similia, debet autem in cono esse Capricornus, in basis dextra Taurus, in sinistra, Virgo.

Aereæ triplicitatis, id est, Geminorum, Libræ & Aquarii imago, in lapide sculpta ab omnibus ægritudinibus frigidis & siccis ex humore melancolico oriundis, liberat, præsertim vero quartana, eritque in trianguli cuspide libra, in basis dextra aquarius, in sinistra gemini.

Aqueæ triplicitatis, id est, Cancri, Scorpii, piscium, figura lapidi insculpta, à calidis & siccis morbis liberat, vt Ethica, omnibusque choleræ morbis, verum gestantem reddit inconstantem, iniustum & veritatis osorem, debet autem in coronide trianguli esse Cancer, in basis dextra Pisces, in sinistra Mars.

Cap.

Cap. IX.

De planetarum imaginibus.

SAturni figura insculpta lapidibus est eiusmodi: Vir senex falcem tenens in manu, habens barbam non multum pilosam: hæc figura sculpta in lapide de natura Saturni gestantem reddit potentem cum continua potestatis augmentatione.

Iouis Imago est hominis sedentis in solio seu in quadrupede cathedra, virgam tenentis vna, altera vero Pilam; seu tenentis idolum Cancrum vel piscem, & ante pedes habentis aquilam: Sed apud Magiæ Doctores aliter figuratur, hominis enim figuram sculpunt cum arietino capite, rugosis calcaneis, subtili pectore, quæ si lapidi, maxime Krabati insculpatur, gestantem reddit fortunatum, amabilem, religiosisque gratum, extollitque ad honores & dignitates.

Martis imago multipliciter in lapide figuratur, interdum cum vexillo in

manu,

manu, interdum cum lancea, aut alio instrumento bellico, semper tamen armatus, & aliquando equester: huius lapidis sic sculpti virtus gestantem reddit victoriosum, audacem, bellicosum, maxime vero si sculpatur in lapide virtutis consimilis.

Solis figura diuersimode reperitur, interdum instar Solis cum radiis circumquaque, aliquando instar hominis sedentis in solio cum capillis sparsis & veste profusa, nec nõ in curru, ac si ab equis quadrigis veheretur, ita vt circumcirca currum sint 12. Zodiaci signa: Virtus autem huius figuræ in aliquo lapide sculptæ gestantem reddit imperantem, Magnatibusque gratum.

Veneris imagines similiter multæ sunt, lapidibus tamen sequens frequentius insculpitur: Mulier cum magna veste & stola, manuque tenens laurum: huius virtus est agilitatem dare in rebus agendis, omniaq; ad optatum finem deducere, timorem submersionis aquaticæ auferre, honores vero muliebres afferre.

Mer-

Mercurii figura homo est gracilis pectoris, pulchram habens barbam cum talaribus, caduceam tenens virgam cum gallo ante pedes, aut cum serpente sub pedibus, virtus eius est conferre ad scientiam & oratoriam comparandam; mercatoribus locupletandis quoque maximum præstare auxilium.

Lunæ imagines variæ sunt, aliquando enim figuratur in propria Lunæ figura, cum cornibus, interdum in curru, vt puella cum canibus & pharetra, cum canibus sequentibus ceruum: huius imaginis virtus est præbere expeditionem in legationibus, ex his bona & honores, inque omnibus rebus agendis præstare celeritatem & facilitatem, adque optatum finem omnia deducere. Verum caute obseruandum, vt etiam supra monitum est, Planetam, cuius imaginem in annulo conueniente sculptam cupis, optime debere esse dispositum, hoc est, non combustum, retrogradum, malorumque radiis oppressum aut tactum, sed in bono cœli loco, Oriente vel Medio Cœli,

cum

cum Ioue vel Venere, in dignitatibusque essentialibus, aliàs imago vana existet, nulliusque momenti.

Cap. X.

De reliquis astrorum imaginibus.

CÆterum Vrsi imaginem sic formabunt veteres.

Binas vrsas insculpunt circumuolutas à serpente, Maior vrsa in capite circumflexionis, minor in cauda continetur: quæ imago in aliquo lapide sculpta gestantem scientem reddit, versutum & potentem.

Coronæ imago similitudinem coronæ Regiæ cum pluribus habet stellis, interdum in similitudine regis capite coronati figuratur, existitque in Septentrionali parte & signo Sagittarij, estque de natura Veneris & Mercurij, sique hæc imago in lapide fuerit sculpta, dat gestantibus honores & scientiam, regiamque gratiam.

Herculis quoque incuruati imago talis est: Vir in genua prolapsus tenens in manu

manu clauam interficiensque Leonem: aliquando vir cum Leonina pelle in manu, talesq; figuræ in decente lapide sculptæ ad victoriam conferunt bellicam, maxime si in Achate gestetur.

Cygni siue gallinæ imago, expansis alis colloque incuruato figura gratum gestantem reddit populo, scientem, diuitem, podagramque, paralysin & quartanam pellit.

Cephei figura habentis præcinctum ensem cum brachiis & manibus expansis in lapide sculpta, cautum reddit, & scientem, & si puluinari dormientis supponatur, in somno res delectabiles facit apparere.

Cassiopeia mulieris imago est sedentis in Cathedra habentis manus porrectas ad modum crucis, aliquando cum triangulo in capite, in signo autem tauri constituitur, & in septentrionali parte, eius natura est de Saturno & Venere, si hæc sculpta fuerit inconuenienti lapide, virtus eius erit, hominibus sanitaté præbere, infirma & defatigata corpora re-

ſtaurare, quietem & tranquillitatem poſt conceptum laborē geſtantibus præbere amœnum & ſuauem ſomnum præſtare.

Andromeda puellæ imago eſt, habens crines ſparſos, ac remiſſas manus, à Tauro continetur in ſeptentrione, Veneriſq; naturæ eſt: eius virtus eſt, ſi in lapide ſculpta erit, rixas & iurgia inter virum & vxorem ortas reconciliare, & ſtabilem amorem firmare: & à quamplurimis infirmitatibus cuſtodire.

Perſeus, enſem in dextra manu, in ſiniſtra caput Gorgonis habens, imago eſt, ac locatur in Tauro, & in ſeptentrionali parte, vim Saturni habet & Veneris, ſi in lapide ſculpta fuerit, ab infortuniis geſtantem auertit, & à fulgure, & tempeſtate præſeruat, non ſolum geſtantem; ſed & loca, vbi continetur, faſcinationes quoque ſoluit.

Serpentarius eſt hominis figura habē-tis ſerpentem tenentis in dextra caput, & in ſiniſtra caudam: eſt in ſigno Scorpionis, & in Septentrione, naturam habet

Sà-

turni & Martis. Virtus eius in lapide sculpta est valere contra venena, venenosorum animalium morsus curare, & si lotura eius bibatur, facit venenum euomere sine læsione.

Aquila siue vultur cadens, est imago aquilæ volantis cum sagitta sub pedibus, in Cancro, & septentrionali parte collocatur, de natura Iouis & Martis est, sed sagitta de natura Martis & Veneris: hæ cōstellationes cum in lapide sculptæ erunt, gestantis, veteres honorum gradus conseruare, & nouos acquirere, adq; victoriam conferre dicuntur.

Piscis siue Delphinus est imago gibbosi piscis: est in signo Aquarii & in Septentrione, naturā habens Saturni & Martis, quod si in lapide sculpta sit, artubusq; alligata fuerit, gestantem fortunatum efficit in piscando.

Pegasus siue equus alatus, vel secundum aliquos medietas equi cum alis: secundum alios totus equus cū alis: & sine freno, in signo arietis, & in septentrionali

parte naturam habens Martis & Iouis: si sculptus fuerit in lapide, gestanti in campestri bello victoriam præbet, & velocē, cautum, audacemque reddit: si vero equi collo suspendatur, aut in aqua ponatur, vbi bibat equus, à multis infirmitatibus eum liberabit.

Cętus est figura magni piscis cum curuata cauda & magno ore, continetur à tauro, & in meridionali parte naturamq; obtinet Saturni: in lapide hæc figura sculpta si supra dorsum habeat serpētem cristatum, in mari gestantem felicitat, eumque prudentem & amabilem reddit, & ablata restaurat.

Orionis armati hominis imago cum ense seu falce in manu collocatur in signo geminorum, & in parte meridionali, Iouis, Saturni & Martis naturam habet, hæc figura in lapide sculpta, gestantem reddit victoriosum, & de inimicis victoriam reportare facit.

Nauis imago est cum retorta prora, & eleuato velo, & aliquando sine & cum remis, continetur à leone, & in meridio-

nali

nali parte, eſt naturæ Saturni & Martis, in lapide autem ſculpta ſecurum reddit, geſtantem in agendis rebus in mari, & aqua, nec ab aqua damnum capere permittit.

Canis imago eſt figura canis leporini cum cauda curuata, exiſtit in ſigno Cancri, & meridionali parte naturam Veneris habens: ſi in lapide ſculpta ſit, ipſam vim habere dicunt liberandi totaliter lunaticos, maniacos, Dæmoniacos.

Leporis ad ſimilitudinem leporis imago eſt cum extenſis auribus & pedibus, ac ſi in curſu eſſet, in ſigno Geminorum collocatur, & in meridionali parte: natura eius eſt Saturnia & Mercurialis: virtus huius eſt phreneticos curare, & contra Dæmonum verſutias valere, nec à maligno ſpiritu geſtans poterit lædi.

Centaurus, eſt figura tauri vſq; ad collum, reliqua hominis tenentis in ſiniſtra manu haſtam quieſcentem ſupra ſiniſtrã ſpatulam cum appenſo lepore: in dextra vero manu beſtiolam reſupinam cum lebete appenſo: in libra & meridionali par-

te constituitur: estq; naturę Iouis & Martis, virtus huius sculpturæ est, reddere gestantem constantem, & sanum perpetua sanitate.

Canis imago sedentis in Cancro, de natura Veneris est: si in lapide sculpta fuerit, tecumque portaueris, hydropem non timebis, & à peste, canisque morsu liberaberis.

Sacrarii seu thuribuli figura de natura Veneris & Mercurii, cum accenso igne, si in lapide sculpta erit habilem gestantem ad conuocandos spiritus efficit, ac in eorum conuersione esse, eosque reddit obedientes: dicunt etiam gestantem reddere ornatum perpetua virginitate, cum castitatem inducat.

Hydræ seu serpentis imago est serpentis figura habentis supra se vrnam circa caput, & coruum circa caudam, de natura Saturni & Veneris: virtus eius est, efficere gestãtem ditissimum, astutum, cautum, prudentem, & à nociuis rebus liberum, & resistit omni noxio colori.

Co-

Coronæ auſtralis figura, imperiali coronæ aſſimilatur, de natura Saturni & Martis, in augendis diuitiis eius virtus eſt, hominemque hilarem, & iucundum reddere.

Agitatoris ſeu aurigæ imago eſt hominis figura in curru tenentis hircum in humero ſiniſtro: collocatur in ſigno Geminorum, & in Septentrione, naturam habens Mercurii; hæc figura in lapide ſculpta facit geſtantem venatorem & fortunatum in capiendis animalibus.

Vexilli imago fit in ſimilitudinē vexilli expanſi in extremitate haſtæ. Hæc in lapide ſculpta efficit geſtantem in militia fortunatū, ac victorem in cāpeſtri bello.

Imago Leonis ſculpta in auro, Sole exiſtente in Leone, Luna Saturnum non reſpiciente, præſeruat à calculo, calidiſq; ægritudinibus.

Scorpii imago in annulo aureo & lapide Bezoar impreſſa aut ſculpta Luna exiſtente in Scorpione, ſitq; Scorpius in vno ex cardinibus mundi, ad puncturam Scorpionis valet.

Imago Aquarii prodest iis, qui habent falsas imaginationes, vt sunt melancholici, quartanarii, maniaci, oportet autē vt fiat in die Solis & hora eius, & non sit Iupiter combustus, neque Sol sit Ioue altior; neque Saturnus sit in ascendente, neque in 19. gr. Arietis: 3. 15. 27. Tauri: 11. Geminorum 3. 4. 12. 15. 19. Cancr. 2. 5. 19. Leonis: 5. 13. 30. Virginis: 3. 5. 21. libræ: 7. 18. 20. 21. Scorpionis: 13. 20. Sagittarii: 12. 13. 24. Capricorni; 7. 18. 20. Aquarii: 13. 20. Piscium.

Imago piscium, Sole existente in piscibus in 12. domo & Luna in ascendente, dominoque ascendentis, & domino domus sextæ aspectu sextili aut trigono respicientibus ad inuicem, aut saltem Luna respiciente alterutrum, à podagricis doloribus gestantem sub plantis pedum liberare experimento dicitur.

Cap. XI.

Cautela in imaginum fabrica considteranda.

Verum tempus electionis in figuris lapidibus inscribendis vel insculpē-dis

dis diligenter obſeruandum, maiorem enim tunc è cœlo virtutem ſuſcipere, ſi ſtatis temporibus opportuniſque inſculpantur, ſic enim magis influunt ſidera. Vnde amorem excitare beneuolis, odiũ vero accendere volens, iniquis aſpectibus, vtitur. Saturni igitur imaginem fabricari volunt ipſo exiſtẽte in Capricorno vel Aquario, Iouis in Sagittario & Piſcib. Martis in Ariete & Scorpione, Solis in Leone, Veneris in Tauro & Libra, Mercurii in Geminis & Virgine, Lunæ in Cancro. Sic Leonis vel Cancri imago annulo vel lapidi inſigi debent, Sole Leonem, Luna vero Cancrum peragrante, ita tamen, vt vterque ab omni impedimento ſit liber, præſertim vero à radiis Saturni vel Martis. Tenendum etiam quodlibet ſignum quamdiu Sol in eo eſt, viuum fieri, cæteriſq; dominari, effectumq; eius præ aliis ſentiri, ideoque ſemper Planetam dirigendum ad locum eſſe, id eſt, ſignum faciem & gradum, quem Sol illuſtrat.

Hactenus de imaginibus Magicis priſ-

corum Sapientum, quas eam potissimum ob causam hic enumerasse placuit, vt planum fiat ex Magicæ Philosophię, hoc est, veræ & naturalis Magiæ, non Goetiæ & Necromantiæ principiis eas esse extructas, quamq; certum est superstitioné in multis per abusum irrepsisse: *Vsus habet laudem, crimen abusus habet.* Si quis enim cum superstitione ad male agendum eas referre velit ordini diuino & ipsius artis, ex qua fluxerunt, principiis erit contrarius, eique verendum, ne deliris superstitionibus circumuentus, delirus totus euadat & superstitiosus.

Cæterum iisdem fere ex fundamentis & causis etiam nunc conflari inceperunt laminæ auratæ, argenteæque rotundæ quadratæ, vel triangulares, quibus certæ Planetarum signaturæ & characteres ad certos cœli positus & configurationes seu constellationes insculpuntur, pro cuiusque Planetæ fauore atq; influxu conciliando: imprimi enim, recipi atq; retineri in eiusmodi figuris, & simulacris, certa specie, imaginibusq; insignitis, Planeta-

netarum influxum, rationi & experiẽtiæ consentaneum est. Hoc interim accuratissime obseruandũ, vt Planeta, cuius influxum petis, sit fortis & fortunatus, h.e. in proprio domicilio, exaltatione, vel triplicitate, in Oriẽtis angulo vel Medio cæli, liber à malis radiis Saturni vel Martis, fultus Veneris vel Iouis Trigono, aut Sextili, vel iis iunctus, directus, directus, velox cursu, non cõbustus, ascendens in circulo Augis. Exẽplo sit Mercuri⁹, cuius influxũ si quis pro intellectu, ingenio, memoriaque acuenda conciliare sibi cupit, obseruet, quo tempore anni Mercurius in Geminis vel Virgine, in quibus signis suum habet domiciliũ, sit fortis & fortunatus in Oriente vel medio cœli; inuenta hora horæq; minuto, fiat cœlestis figuræ vna cum aspectuum delineatione diligẽs & artificiosa sculptura in argento puro, quę postea serico albo inclusa reseruatur, tiaræque, ea parte qua præcise cerebellũ contingit, additis moschi optimi aliquot granis, insuitur: præcipue autẽ de nocte, ac euidẽtius illa hora & tẽpore, quo scul-

ptura & inchoata, & absoluta, operationem perficere, animaduersum est. Hoc anno 1608. Mercurius fortis & fortunatus repertus est circa 11. Maii, horamque matutinam secundam: Iterumque fortissimus & fortunatissimus existet circa 14. & 15. diem mensis Septem. Paulo ante & post horam matutinam 5. quo tempore Solem in orientali cardine antecedit in proprio domicilio, exaltatione, & felici Iouis triquetro.

Cap. XII.

De memoria.

ATque hic modus intellectiuam potentiam memoriamque exacuendi è cœlorum virtutibus est, ex vegetabilibus quoque animalibusque, non parum me gratiæ initurum spero apud eos, qui memoria sunt fragili & fluxili, licet ad intelligendum excitati, si remedia quędam pro memoria corroboranda, quibus clariss. & doctiss. viros feliciter vsos scio, hactenus inter secreta abscondita latuerũt, exprompsero, nõ inuidens, quæ publico pos-

possunt esse vsui. Multa autem iis inesse scias, quæ neque temperamento, neque materiæ vel vlli qualitati manifestæ inhærescunt, sed soli proprietati cuidam occultæ asscribenda sunt.

Recipe cordium hirundinum, adhuc palpitantium numero 7. turturum num. 2. menthæ siccæ, pulegii. verbenæ, eufrasiæ, coriandri præparati, galitrichi, sing. vnc. 1. florum rosmarini vnc. 5. calami aromatici, cinnamomi, sing. vnc. 2. garyophillorũ vnc. 1. 5. moschi, & Galliæ moschatæ, sing. grana vj. mellis anacardini, styracis calamitæ sing. vnc. ſ. quæ ex his patiuntur triturationem, redigantur in puluerem tenuem, cumq; aqua fœniculi redigantur in pastillos ad formam nuclei palmulę. Vsurus hunc seruabit ordinem. Purgato corpore 50. noctibus nihil præter passulas cũ amygdalis paucis & pauco pane cœnabit, prandium autem erit assa gallina, aut pullus gallinaceus, turtur, perdix, vel simile quid, potus vinum vnius anni modice dilutum. Singulis autẽ noctibus prope somni horam, pastillus

dextræ nari inferetur, Cotoq; obturabitur, sicque seruabis, non vltra quam XX. Virgilii versus recitaueris: elapsis diebus aliquot, pastillum sinistræ nari aqua rosarum madefactum indito, omniaque quæ lecturus es, tenebis, vel intelligentia cito assequeris. Abstinendum vero, qui memoriam sic seruare omnino cupit, ab ebrietate, venere, cruditate ventriculi inprimis, omni satietate, fructibus viridibus, oleribus, carnibus salitis, omnibusq; flatus generantibus. Postrema mensa coriandri præparatum semen assumendum est. Inprimis quoque curandum, vt diligenter & probe præparetur. Non quoque innoxium erit, per interualla pastillum vnum ore detinere ac deglutire; iuuabit quoq; pastillum super prunas proiicere, vt fumus probe recipiatur in nares, receptus retineatur, naribus gossypio obturatis, ne exhalet, vel etiã pastillos aliquot aqua lauendulæ vel rosacea, vel anisi dissoluere, frontemq; tempora, nares & occipitium circa memoriæ capsulam maue & vesperi frequenter madefacere,

in-

inque nares linteola pura ea imbuta immittere. Atqui hoc remedium paucis patefactum est.

Communius est, licet à multis hactenus occultatum, quod recipit:

Zinziberis, piperis longi, galangæ, garyophyllorum, cubebarum sing. vnciam vnam: nucis moschatæ vnciam vnam & semis, in puluerem redacta condantur sacco lineo, coquantur in vini optimi mensura vna & dimidia in olla noua vitreata, bene obturata, ne fiat euaporatio, lento igne, bibatur de hoc vino trib⁹ ante inunctionem diebus ieiuno stomacho plenus & fortis haustus, similiter & vesperi: quo facto hyeme ad ignem, æstate vero ad Solem capitis pori frictionibus, & pectine diligentissime aperiantur, vt vapores fuliginesq; exhalent, ipsumque caput lauetur aqua ruthę simplici, postea circa tempora & occipitium cellamque memoriæ fiat inunctio sequenti vnguento, quod recipit:

Florum caulium, liliorum alborum, melissæ cum floribus menthę crispæ sing.

manip. 1. contusis, adde olei oliuarum vncias ij. & semis, butyri vaccini maialis non saliti vncias iiij. Vini sublimati fortiss. cochlearia iij. aquæ rosarum cochlearia iiij. buglossi, ruthę, chelidonii, saluię, sing. cochl. ij. commisceantur omnia, & bulliant super ignem sine fumo & flamma, postea reponantur in vitreo vase, insolentur dies aliquot, vt color in cereum conuertatur, & parabitur ante inunctionem capitis, paratum biennio viget in virtute sua. Herbæ autem ipsæ colligentur in Solstitio æstiuali, moxque distillandæ sunt & ad vnguenti compositionem assumendæ. Triduali igitur purgatione præmissa cum dicto vnguento inunguntur tempora, cella memoriæ & occipitium, maneasque calidus & quietus, donec ad interiora penetrarit, & hæc fient à principio per dies 4. postea vero singulis annis semel tantum per biduum crescente Luna: in tertio anno non erit necessaria inunctio, nisi semel anno: alimenta sint facilis digestionis, & potus moderatus, excedens enim & continuata hic ebrie-

brietas venenum est. 3. Et hoc sequens vnguentum excellens est, quod recipit, radicis buglossi, valerianæ sing. vncias 3. radicis ruthæ vncias ij. redigantur in puluerem: deinde recipiantur ſucci eufrasiæ, hormini verbenæ ſing. vnc. iiij. colentur per pannum. Postea miſceantur ſucci & pulueres, addas medullæ anacardiorum vnciam vnam, linguæ auis, id est, ſeminis fraxini in puluerem redacti drachmas iiij. cumque pinguedine vrſi dat vnguentũ, quo inungantur tempora, frons & memoriæ cellula. Hoc magni viri vſi ſunt: inunctionem ſuadent fieri debere ter vel quater in anno, ego ſingulis menſibus, ſi rarior operatio animaduertatur.

CAP. XIII.

Ars memoriæ ex Gratarolo.

VErum præstat hic artem memoriæ præſeruandæ & cõfirmandæ ex præstantiſſimo Medico Gratarolo, apponere, cum & illa vi occulta, abſtruſa, & magnetica, ſiue magico-naturali talia effecta promittat, & præſtet, quæ puris natu-

ralis

ralis adſcribenda vix videtur. Sic autem Grataroluſ:

Memoria eſt, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Vel, Eſt firma animi rerum & verborum diſpoſitionis perceptio. Aut (vt Ariſtoteles opinatur) imaginatio eſt, quæ ab his, quæ ſenſus deprehenderat, remanet. Platonis autem ſententia: memoria eſt ſenſus & incolumitas: nam anima ſenſuum officio adipiſcitur, quæcunque ſub ſenſum cadunt indeque opinionis origo eſt. Sed per mentem ipſam intellectualia animaduertit, & intelligentia fit vt memoria amiſſa per reminiſcentiam denuo reſumitur: nam cum obliuio ſiue memoriæ amiſſio duplex ſit, perpetua videlicet & temporanea, in hac quidem reminiſcentia agit, de qua inferius ſuo loco dicetur: neque alterius partis animæ aut cerebri eſt effictio, ſeu imaginatio, alterius vero memoria: ſed in ſubiecto eodem inſunt, atque eiuſdem partis animæ functiones & vtraque eſt totius cerebri, in cuius toto corpore fuſa eſt princeps ſentiendi anima: non abſ-

absque ratione tamen antiqui dixere, diuersas capitis ac cerebri partes, ab his animæ functionibus occupari. Sedem igitur habet memoria in occipitio in tertio vocato ventriculo, quem & puppim vocant. Longum esset, ac pene superfluum hic (vbi studeo breuitati) cerebri totius anatomen describere, quam in multorum libris videre licet, præsertim doctissimi pariter & diligentissimi Andreæ Vesalii. Dicam tamen aliquid breuissime ad rem nostrã propius faciens. Tres animæ operationes sunt in cerebro, phantasia seu imaginatiua, ratiocinatio & memoria. Primæ duæ in duobus ventriculis cerebri maiorib⁹, tertia in tertio & minori exercetur. Inter cerebri caua animalis spiritus tenuis purus, mundissimusq; versatur, atque talis defertur memoriæ: quæ quidẽ claritate & subtilitate spiritus indiget. Quod si non aperiatur via illa, qua transit spiritus ad puppim cerebri, nihil homo reminiscitur, & cõtra, q̃ velocẽ habent huiusce vię aperitionem, prudentes sunt, & velociter respõdent; vt sunt quidã cho-

cholerici, qui vero pigrā illam & tardam habent, pigri sunt & tardi ad discendum atq; respondendum: suntq; tales vt plurimum phlegmatici vel melancholici, crassisq; ac multis cibis ac potibus vtentes. Rari quidem reperiuntur, qui felici ingeniò, & fœcunda memoria dotati à natura sint: siquidem ingenium subtilē & mollem cerebri substantiam, memoria permanentem indicat. Dicit quoque Galen. cap. 12. Artis medicinalis, ingenium quidem subtilem cerebri substantiā indicat, tarditas vero intellectus crassam, &c. Huic functioni deseruiens spiritus, à corde per arterias ad caput subuolat, & exterius nos cingente aere alitur, diuturnitatemque consequitur. Et denique conueniunt physici omnes, Memoriam potissimum pollere ex bona temperatura organi sedisve, in qua hanc functionem anima exercet. Indicium etiam erit eos valere memoria, quib. in posteriora caput protuberat: eandē infirmam experiuntur, quibus ibidem velut complanatum ceruici exęquatur. Sciendumque

que, quod ſapere fit ex ſpirituum bonitate: boni vero ſpiritus ſunt, qui claritate ac motu tẽperati ſunt & ſubtilitate. Plato in Theætet. Non recte, inquit, anima ſe habet in denſo, aut lutulento, aut molli nimis, aut duro. Intemperies autem multifariam contingit: nam ex vtero quis tã validam nonnunquam contrahit, vt non ſolum memoria, ſed & ratio lædatur, atq; ita ſtultitia fiat: cuius inter cætera ſigna, vt habet Ariſtoteles primo De animaliũ natura ſunt prægrandes & erectæ aures: Si Solem, Arietem aut Scorpium peruagantem aliquo naſcente Luna adeat, ei cerebrum adeo affligit, vt melancholica paſſio paululum adultis oboriatur. Ex prauo item victu frequens eſt cerebri intemperatura, quandoq; ex inſalubri ambientis aeris conſtitutione: nam vetus eſt dictum, vbi ſit ſiccior aer, ibi fere etiã eſſe acriora ingenia, animamque prudentiorem ſeu promptiorem: ſic craſſum cœlum & pingue, ingenia gignit hebetiora. Eadem dietæ eſt ratio, vt etiã habet Gal. in libro. Quod animi mores, &c. Quinetiam

iam ex casu, ex percussione, ex morbo & aliis id genus iniuriis labefactatur, quorũ exempla varia & ex Thucyd. l. 2. belli Pelop. & ex aliis haberi possunt: quidã ictus lapide oblitus est tantum litteras, ex præalto tecto lapsus, matris, affinium & propinquorũ cepit obliuionem: sui vero nominis oblitus est Messala Coruinus orator. Ecce igitur, q̃ fragilis sit omniũ pretiosissimus hominis thesaurus. Memoria inter humanę naturæ commoda, teste etiam Seneca, primum sibi locum vẽdicat: nam multa legere studiosis facile, multaque intelligere bono atq; exercitato ingenio non difficile est: verum ea congerere, & in memoriæ scrinio conseruare, ita vt non effluant, necessarium ac præcipuũ humanæ vitæ bonũ. Vt testatur Plin. l. 7. c. 24. Cyrus Persarum rex omnes suos milites nominatim appellabat. Mithridates duarum & viginti gentium rex totidem linguas absq; interprete & audiebat, & alloquebatur; nec desunt innumera pene quorumcunq; temporum exempla præstantissimæ in hominibus memo-

moriæ. Quibus igitur non est tam excellēs memoria, labore vt eam assequantur opus est, sine qua vix in virū excellentem quisquam emerget: fieri n. solet, vt quantum quisq; memoria emineat, tantū eniteat & sapientia, nisi sit somnolentus atq; otiosus. Et poetæ nō ab re sapiētiam memoriæ filiam finxerunt: ac de ipsa recte scriptū est. *Vsus me genuit, mater peperit memoria*. Nonnulli iam ætate prouecti, hac arte freti ad literas se cōferentes, nō multis mensib. in viros euasere doctissimos. Quo igitur pacto ea acquiri augerive possit, ac seruari, hoc opere disseremus. Constat a. cū pluribus doctis, tū vero Ciceroni, memoriam habere quiddam artificii, & non omnem à natura proficisci. Sic igitur & nos prius docebimus, quo victus genere, quibusve medicaminibus ea acquiri firmarique possit breuia, clara, vsuq; probata ponentes: postea de artificiosa memoria, quæ eadem ipsa est naturalis, sed præceptionibus quibusdam firmatur, ac obseruationibus, locis, imaginibusque constat, succincte agemus.

Præ-

Præcipua, quibus lædatur memoria, causa earumque notæ & curationes.

Duæ sunt caussæ principales, quæ obsunt memoriæ, frigiditas & humiditas quæ frigiditas vel sola est, vel cum humiditate coniuncta omittemus corruptionem, quæ fit à calido & sicco intensis, plus tamen nocet frigiditas humiditate: ea siquidem confundit naturam, neque eius opus ingreditur, nisi tanquam subdominans instrumentum. Humiditas vero retentiuæ contrariatur, quæ sicco proportionato confortatur: nam siccitas superflua nocet, præsertim apprehensioni, dum impedit, ne insigillentur formæ. Frigidi est sistere, & calidi mouere: ergo frigiditas impedit motum necessarium ad memorandum. Retentionem vero impedit humiditas. Denique cum frigiditatis filia sit obliuio, vt & Paulus Ægineta & reliqui tenent, dicendum ac tenendum est, eam magis obesse memoriæ quam noceat humiditas. Propter frigiditatem enim, quæ humores & spiritus cõgelauit, spectrũ seu species imprimi non

potest.

poteſt. Quorum igitur memoria vel intellectus perit ſomnos etiam obſeruare oportet, vtrum vehementer an modice ſomnolenti ſint, aut omnino non ſomnolenti, ſed ſecundum naturam habeant. Sic enim vincentem inuenies intemperaturam: nam ex multo ac profundo ſomno humiditatem obeſſe: ex vigilia ſiccitatem: ex horum medio æqualitatem & bonam humorum proportionē cognoſces. Ad hæc conſiderandum, vtrum excernat quippiam ex naribus, vel ex ore, quod à capite defluat: an aridæ ex toto vel vt plurimum huiuſmodi partes ſint, atque antecedentium cauſarum & externarum cognitio capitis diſpoſitionem declarabit, quo idoneam diſpoſitioni curationem adhibere poſſis. Vbi dominatur cerebri humiditas, multa ſomni cupiditate tenentur, oris plurima eſt ſaliua, & in naribus oculiſque pituita frequens. omnes motus hebetes ſunt. Tales præſentia recordantur & nuperrime geſta: dudum vero facta, aut nequaquam aut difficile recordantur; nam humiditatis ce-

rebri est facile admittere, & dimittere quaslibet impressiones.

Siccitate dominante, quæ humiditati contraria est, ex contrariis signis indicatur. adsunt enim capitis vigiliæ, leuitates, & rarissima illarum superfluitatum emanatio, quæ à naso, palato, & oculis expelli solet: oculi sunt caui, cito calui fiunt, aurium tum abundabit cerumen. Quantū vero ad memoriam spectat, præsentia difficilius inscribuntur, & inscripta diutius tenētur. Inde fit, vt quæ antea gesta sint, facilius memorentur & reddantur, quam quæ nuperrime geruntur. Exemplo sint senes, qui gesta ab ineunte ætate recitant ordinatim, præsentia vero non recordantur, aut confundunt. Hoc etiam contigit senibus: quia ex frequentatis actibus fit habitus: hinc fit, vt decrepiti bene recordentur antiqua, quoniam sæpius circa illa vel illis similia cōsiderauerunt: male autem noua: quod illis impressio non facile fiat ob duritiam sensorii.

Si dominatur frigiditas, his facies albet,

bet,lumina languent, venæ inconſpicabiles fiunt,ſomnolenti ſunt,partes ad caput attinentes parum calidæ erunt, nec rubicundæ:mens erit ſtupida, vertigineque grauatum caput, & tardæ rememorationis. Hæc qualitas, vt prædiximus, valde officit & animi facultates imminuit,inerteſque efficit: nam vt calidi eſt mouere,ita frigidi è cõtrario facere: ſcias tamen in vniuerſum, viuentis cerebrum calidius eſſe aëre æſtiuo, vt Galenus habet in De vſu partium.

At cum viget in cerebro caliditas, his notis facile innoteſcet.nam quæ circa caput ſunt, calida magis ac rubicunda ſentiuntur;oculos cernes verſatiles, eorumque venas magis apparentes: capilli in lucem editi ſtatim oriuntur, nigri, robuſti, criſpique fiunt;breuibus ſomnis nec profundis contenti ſunt; motuum velocitas & recordationis ineſt. Si vero auctior ſit,& facta innaturalis caliditas, vigiles erunt. Hic nimius calor animales ſpiritus excoquit, in fumoſque ac fuligines diripit,& ſuccos generãdis ſpiritibus

aptos torrefacit. Qua de re felici vel tuta memoria destituuntur.

Si vero duæ qualitates adiungantur, signa earum tanta proportione cognosces, quanta istæ qualitates aut intendentur, aut remittentur: nec difficile fuerit iudicium ex præmissis; vt si fuerit caliditas & siccitas extra temperiem, aderit permixtio sensus, vel phrenitis iuxta intensiorem gradum qualitatum, constat igitur, memoriam posse medicinali artificio seruari, augeri, & exsiccari, cum constet eam morbo minui deficere, & deprauari.

Quo itaque ad curandi rationem, victus primo pro caussarum varietate mutatur, vt infra dicemus. Annotandum vero prius est, obliuionem à natura reportatam non facile remoueri posse, nec quæ à causa calida & sicca fuerit, sano in cæteris corpore. Hoc etiam interdum euenit, vt præter consuetudinem sit diminuta vel abolita memoria; tunc timendum est de peiori ægritudine nisi ocyus succurratur, scilicet lethargia, epilepsia, apo-

apoplexia, paralysi, cæterisque id genus, quæ à phlegmate in cerebro fieri solent, pro quibus ad medicos confugias. Si etiam ob extremam senectam memoria perierit, frustra laborandum admouendis scilicet remediis, non est, sed tantum conueniente victus ratione contentos esse oportet, denturque cibaria & linctuaria humectantia & restaurantia, siccitatemque arcentia.

Si propter vehementes purgationes, cæterasque immodicas inanitiones, vel à siccitate memoriæ noxa superuenerit, victu tantum reficiente succurrere oportet: corroborato siquidem corpore collectisque viribus memoria reparatur. Cibi conferent igitur succulenti & boni succi, qui facile concoquantur in ventriculo: vinum sit rubrum, maturum, dilutum, exercitia moderata & citra fatigationem: caput clementer fricetur. prolixe dormiant, molliter cubent, tepidæ aquæ balneis vtantur, sudationes vitent, capiti abraso epithemata infundantur, vel fomētationes ex decocto florum chamæmeli,

meliloti, ſeminis lini, hordei decorticati, aut ex lacte recens mulcto, inungatur oleo ſuſino, amygdalino, dealthea, butyro non ſalito. Sumant conſeruam borraginis, bugloſſi, cortices citrei conditas, & ſimilia.

Si à frigida cerebri intemperie ſola ſine materia malum ortum fuerit, opponatur caliditas frigiditati, & pariter humiditati ſiccitas, cum temperamento tamen, in caliditate enim & ſiccitate naturali omnis æqualitatis debet eſſe proportio, vt ne quid nimis; quia calor naturalis non eſt purus calor, ſed compoſitus, in quo eſt proportio omnis æqualitatis: non enim omnis caliditas bonam memoriam facit, nec omnis ſiccitas, ſed quæ proportione reſpondet temperamento, nec fluat in intemperiem immoderatam, cuius vis eſt actum propriæ virtutis tollere. Cauendum eſt ergo, ne nimis cerebrum calefaciamus, aut exſiccemus nimis. Et qui temperato eſt capite, caueat ne medelas apponat. Qui igitur corruptionem memoriæ patiuntur ex immen-

ſo

so calido & sicco, quam coniunctionem plerumq; phrenitides & deliria sequuntur, iis oxyrrhodinum capiti infundatur, & curatio reliqua cum his, quæ refrigerant & humectant, pulchre complebitur. Quod si ex nimia frigiditate adnixa intensæ siccitati fuerit, quod accidere consueuit aut propter longos morbos, aut vehementes corporis labores, aut acres valde animi affectiones, quibus naturæ vires fatiscunt, & animales spiritus dissipantur, humectantia & mediocriter calefaciendi simul vim habentia, haud mediocri erunt præsidio.

Cum autem non solæ ac nudæ qualitates offensioni erunt, sed adfuerit simul humorum copia, ab euacuatione incipiemus, præmittendo concoctionem conuenientem, si opus erit. Sanguinis copia venæ postulat sectionem, quæ cum medici docti consilio fiat: incidatur autem humeraria, quam Cephalicam vocant, si caput solum degrauatur: si corpus totum, aut interna, aut media. Si bilis flaua abundauerit, consulto medi-

co, eum educentibus bilem purgetur, vt cum rhabarbaro, manna, casia, succo rosarum, electuario rosato, syrupo rosato solutiuo, tamarindis; vel aureis vocatis pilulis & similibus. Si atra bilis, præsidiis itidem conuenientibus à peritis medicis traditis educantur, vt senæ diluto epithymi veratri in fortioribus: diasenæ, pilulis Indis & cætera.

Quod si fuerit causa, quæ pene semper contingit, frigida & humida, hi modi in curando seruentur. Et primo, quoad victum, moram trahat, quantum poterit, in aere luminoso non ventoso: nam venti plurimum obsunt. Euitent quæ phlegma multiplicent, omniaque frigida, similiter & vaporosa vt cæpe, & super omnia repletio & satietas aut cruditas, multus potus, multa fructuum comestio vitetur. cibi grauis concoctionis, ablutio cum nimis calida vel frigida aqua, potatio eius nimia vel vini. Conferent igitur cibi bene nutrientes, calidum & spirituosum sanguinem gignentes, veruecina, hœdina, capi, phasiani, perdices, quorum oua

oua singulari potestate in hoc pollent: pipiones, turtures, passerculi, galeritæ, turdi, merulæ: parentur cum hyssopo, satureia, thymo, sampsucho, rore marino, caryophyllis, macere, zinzibere, pipere, cinnamomo, granis iuniperi, præsertim in hieme. Animalia fugiant nuper edita, quod mucosam ac viscidam habeāt carnem: animantis cerebrum vt pituitosum, incommodat, nisi sit gallinæ, quod peculiariter & summe laudatur. Similiter fugiat medullas, gruinas carnes, pisces præsertim viscidos & lacunales; olera frigida, lac, caseum, præcipue multum aut prauum: fructus humidos & horarios: acriora interdum, hieme præsertim; exhibeantur, vt allium, pulegium, capparis remota falsedine, sinapi à Pythagora laudatum, parce epulentur præsertim cœnantes: vinum bibant album, aut vermiculum subrubrumve: aquam, nisi sit cum melle vel cinnamomo, aut alio cum aromate decocta, non gustent. Prolixum somnum diurnumque auersentur, nec super nucham, vel super nimia repletione

ne fiat à superflua quoque vigilia caueant. Debilitat enim spiritum ipsumque resoluit ac caput replet. Exercitium fiat deambulando, & cibos præcedat, cum fricatione etiam partium capitis (facta tamen prius conuenienti purgatione) cum pannis asperis, & pedum & manuum, sed moderatum, ac totum corpus fricandum primo, deinde caput, incipiatque à tibiis frictio, paulatim superiora fricando, vt deorsum trahatur materia. Circa lacus, flumina & liginosa loca non versentur; Austrinos flatus & pluuiosas constitutiones declinent; lucidam & altam domum inhabitent: caput oleis conuenientibus (vt etiam infra dicetur) vngatur à multo vel frequenti coitu omnibusque cerebrum debilitantibus caueant: nam principali debilitato, nocent & orta ab eo: corpus seruetur mundum à superfluitatibus. Si igitur pituita lenta ac crassa fuerit, fiet illius attenuatio, concoctio & præparatio ad eductionem, cum oxymelite composito vel scyllitico, vel de quinq; radicibus, de

stœ-

stœchade, de raphani radicibus facto, melle rosato, prout opus fuerit, & aquis seu de coctis cõuenientibus. Ad educendam vero pręparatã materiam exhibeantur pilulæ vel cochiæ, vel exhieri Galeni addito modico castorei & nucis myristicæ: addatur etiam præparata colocynthis secundum Medici pręsentis prudentiam, vel detur hiera magna cũ nuce moschata vel hiera Rufi, de qua Aetius lib. 3. conueniet etiã hiera Logadii, & alia quæ cõueniunt dolori capitis ex phlegmate: deinde fiant etiam gargarismata, fomentationes, vnctiones, sacculi & huiuscemodi: gargarismus potest esse talis: ℞. calami aromatici, pulegii, hyssopi, thymi, ana pug. j. decoquantur in aqua iustæ quantitatis ad dimidium, & vnc. v. colo transmissis, adiice oxymelitis scyllitici vnciam & semis mellis rosacei vnc. semis, misce, & tepidum mane ieiuno gargarizetur, clystere etiam si opus fuerit fiat ex respicientibus caput; sternutationes fiant, vt cum pipere, struthio, seu cõdisi, elleboro albo, iride & similibus; aut ex his cũ tere-

binthina & ladano fiant errhina seu nasalia. Conferunt præterea si pituita vlterius exundat, quæ saliuam mouent seu apophlegmatismi, odoramenta; cubebæ masticatæ seu commansæ, modis omnibus auxiliantur auribus, indatur oleum castorei, lauandulæ, spicæ. Quod si vel minor in corpore humorum talium copia, aut patiens non adeo validarum virium fuerit, leniori purgatorio pituitam primo ex toto corpore vacuabimus, & quod robur potius in membris relinquat, quam aufert, quod tale sit. ℞ Aloes lotæ cum succo thymi aut samsuchi vel eorũ aquis drach. j. Agarici trochiscati drach 2. masticHes, cubebarum, nucis moschatæ ana gran. 6. cum vino odorato fiant pilulæ 12. quarum 7. sumat in aurora cum syrupo de stœchade, reliquas post tres dies horis 2. post cœnam: postea cum Electuariis confortantibus sequentibus aut similibus roboretur, præmissis tamen etiam localibus purgantibus, vt supra, si opus sit rursus pro purgatione conferent hæ pilulæ etiam à proprietate. ℞. Thuris mas-

masculi, myrrhæ electæ, zinziberis ana drach. 1. ß pulueris capitis vpupæ drach. ij. acori scrupulos duos, hieræ maioris drach. j ß. castorei, colocynthidis ana scrup. med. confice cum bona terebinthina, vel cum serapio de stœchade, & fiet pasta; denturque pilulæ numero paucæ, sed crassæ, supra leuem cœnam in lectum descendenti: possunt etiam auferri ea, quæ soluunt, vt tantum confortent: hæ ferunt principarum hac in causa, & præ ceteris conferunt memoriæ. Item ad corroborandum, fiat ecligma vel linctuarium tale, vel similem in modum. ℞ Cōseruæ anthos, melissophylli: ana vnc. vnam, inulæ conditæ, zinziberis viridis vel conditi, ana vnc. med. corticis citrei conditæ drach. 6. diatrion pipereon, diambaris ana vnc. med. cum modico aquæ vitæ in vasis vitreis semel distillatæ ex vino bono, vel cum aqua melissæ, aut florū lilii conuallii, commisce, sumat horis duabus ante cibum in mane drach. j. aut ij & semidrachm. hora somni.

Notandum autem quod nucha est ce-

rebro frigidior, ideoque calida magis patitur & tolerat, frigida deterius: meminisse igitur oportet, ne frigefacientia, quę forinsecus inducuntur, in occiput cadant. Calefactoria itaque medicamenta tam extra, quam intra corpus adhibenda. Thymum, & pulegium & origanum, vel huius generis alia incoquantur aceto & ægrotantis naribus admoue, palatum acribus validis medicamentis inunge. Extrinsecus autem inunctiones capiti ex oleo calido, idque æstate adhibendæ, vt rutaceo, anethino, &c. hieme vero irinum, in quo concoctum sit serpillum vel calamentum, piper, baccæ lauri, addendo aceti modicum ad penetrationem. Vtile erit & castoreum cum oleo illitum occipiti, vel tale vnguentum. ℞. olei de lateribus, de castoreo an vnc. med. radicis acori, phu seu Valerianæ an. scrup. j. pyrethri rutæ ana scrup. med. cum cera quantum sufficiat; fiat vnguentum, quo rasum occipitium inungatur: & subinde sacculus imponatur, qui recipit florum rosmarini, melissophylli, lauandulæ sin-

singulorum manipulum med. florum sambuci manip. I. stœchadis drach. 3. nucis moschatæ, ligni aloes, maceris ana scrup. I. contusa in sericum demittantur formeturque sacculus.

Linimentum aliud conferens diminutioni memoriæ & obliuioni. ℞. Olei sambucini, vnc. I. olei de been. vnc. 2. olei euphorbii, castorei vna vnc. med. aceti drach. 3. misce, inungaturque locus. Item oleum Philosophorum, vocatum à Mesue, occipitio inuncto, memoriam mirabiliter reparat.

Alia inunctio: ℞. Radicis rutæ, buglossi, phu cum radicibus ana vnc. 4. castorei duorum vel trium annorum, linguæ auis quam semen fraxini vocant, ana drachm. ij. redigantur in puluerem & misceantur: post recipe succi eufragię, orminique scharleam vocant, verbenæ ana vnc. iiij. medullæ anacardi vnc. j. axungiæ vrsi, quantum satis sit, fiat vnguentum liquidum, & ponatur in vase cupri vel stanni, vt stet liquidum, nam aliter haud valeret, vngatur occiput. Quod si citius iuua-

iuuare velis, aut frigidioris capitis sit homo, & in tempore frigido, nares hoc odorato vnguento intus illinantur. ℞. olei de spica odorati vnciam vnam, cariophyllorum scrup. I. ambari seu ambræ scrup. semis, musci gran 5. ceræ albiss. quod satis est; cuius etiam gutta, ante ceræ impositionem, auribus tepida instillata conducet.

Emplastrum quoque de sinapi Mesue secunda descriptione Antidotarii valebit in affectu frigidiori occipiti ad positum, vel oleum de synapi. Superiora conferunt etiam absque præuia purgatione vt & sequentia, his qui frigiditate sola absque notabili humiditate laborant, intrinsecus quoq; præter supra narrata cõferunt, verus acorus conditus, (quem calamum aromaticum credo, vel galangã) saccharum, florum betonicæ, rorismarini, lauandulæ, spicæ nardi, melissophylli, adiectis longo pipere, caryophyllis, cinnamomo, nuce moschata, & id genus aliis odoratis. Valde etiam iuuat zinziber cõditum, ad auellanæ quantitatem, præsertim

tim

tim in ventriculo frigido & humido, vt fere est in omnibus vel pluribus tali caussa & affectu laborantibus: nam reparat memoriam sumtum mane in temporibus non calidis, horis quatuor ante cibũ.

Confert non parum & hoc; ℞. Thuris, cyperi, piperis longi, croci, myrrhæ ana confice cum melle, & ex eo omni die sumatur ℈ j horis supradictis præsertim mane.

Aliud ad idem præcipue senibus valens. ℞. mellis anacardini, thuris albi, cyperi, acori veri, ana partes duas rotundi piperis, & longi ana partem vnam, myrobalanorum chebulorum, cæruleorum ana partes duas, cumini partem vnã, mellis quantum sufficit, datio sit drach 2. singulo mane: diambar. etiam conuenit.

Prodest & confectio anacardina si probe conficiatur, ac post sex menses ea vtaris: hæc enim acuit ingenium & sensum, & intellectum clarificat, mentem reuocat, sopitam lethargiam curat & arthriticos, confertque dolori ventriculi & alui à frigiditate, sed stupidis danda est,

&

& capiti maxime frigido & pituitoso, sic vero fit. ℞. Myrobalanorum emblicorum, belezircorum, piperis albi & longi, ana drach. 12. gingiberis, mellis anacardini ana unc. 1. castorei, styricis, caryophyllorum, ana drachm. 5. flor. chamæmeli: baccarum lauri, cyperi, ana drachm. iij. mellis, quantum sufficit. misce in modum electuarii. Datur in sero scrupulus, vel ad modum paruæ nucis siue auellanæ, id est, drach. cum vino calido decoctionis seminum anisi & fœniculi: potest & mane sumi. Caueat vero sumēs à frigiditate, à cibis phlegmaticis, ab ira, coitu & ebrietate. Anacardi autem antequam in aliquibus medicinis ponantur compositis, debent in hunc, qui sequitur, modum præparari.

℞ Anacardos, ac eos tere optime in mortario, atque in aceto fortissimo ponātur per dies septem, post lento igne in eodem aceto coquantur, quod aceti pars tertia remaneat; tum percola fœcem illam, quæ in fundo vasis remanserit, prius aceto leuitur extra colato, eamque colo trans-

transſmiſſam fæcem, in medicinis pone: neq; enim anacardorum fructus medicinis per os aſſumendis immiſcentur, niſi prius hoc modo vel ſimili præparentur.

Quod ſi mel anacardinum facere volueris, pone cum ipſis anacardis eo modo in aceto coctis tantundem mellis deſpumati, ac ſimul ambo bulliant ad ſpiſſitudinem & mel habebis anacardinum, quod in præ narratis affectibus operantur mirabiliter, ſi ex eo des drach. duas vel vnam in aurora.

In Sicilia dum recentes ſunt anacardi, ponuntur in melle prius liquefacto, & diu morantur in eo, taleque vocatur mel anacardinum, & habetur vſui abſq; anacardis & inditur linctuariis. Si ex melle dentur drachmæ duæ, recuperat memoriam ex proprietate ſua.

Expertus eſt & acorus (id eſt galanga) nutritus ac coctus in melle & reſeruatus, vt condiuntur nuces ac radices, ſimiliter piper longum nutritum coctumque in melle & aſſeruatum, nam ſeruant & augent memoriam doſis communis drac. 1.

Aliud expertum in forma pulueris. ℞. Thuris drach 1. cyperi piperis, croci, myrrhæ ana drach. ij. terantur subtiliter, & per cribrum ducito, & fiat puluis de quo omni mane dum surgit, detur drach. 1. vel sero in ingressu lecti.

Aliud expertum. ℞. Cumini, piperis ana drach. 2. sacchari albi drach. 3. terantur & fiat puluis, cape drach. 1. omni die in mane. Aliud itidem expertum. ℞. Thuris albi drachm. j piperis longi vel albi scrup. vnum, fiat puluis, qui mane totus pro vna datione bibitur per plures auroras cum vnciis tribus aquæ mellis, vel decocti cinnamomi modici & caryophyllorum.

Aliud æque bonum ac certum. ℞. cumini drach. v. piperis noui drachm. j. accori veri vel galangæ cyperi, myrobalanorum nigrorum ana drach. ij mellis anacardi (de quo supra) drach. 1, mellis communis vnc. 3. ß terenda terantur, & cum melle prius despumato incorporentur & fiat conditum in pyxide, dato in omni mane drach. 2.

Praci-

Præcipua nocentia memoriæ.

Cauere oportet in vniuersum cruditates, tanquam rationi infestissimas & toti corpori.

Plurima vini præsertim potentis potio pessima est: vehementer enim humectat caput, ac fere nihil æque obliuionem inducit, quam superflua humiditas.

Exterior excedens frigiditas lædit memoriam, præcipuè nocturna propter capitis coopertura m. Ire per lutum temporibus frigidis, ac nudis pedibus præ cæteris cerebrum lædit & infrigidat, oculosque debilitat.

Caliditas intensa valde quandoque perturbat rationem & memoriam lædit.

Ciborum fumosorum comestio & potus, vt alliorum, porrorum, ceparum, item casei & leguminum vitetur: Brodialia, iuscula, omniaque nimis humida effugienda, præsertim vesperi; omnis etiam mala masticatio parua est.

Potus post comestionem dum cibi fit concoctio eam interrumpens, præsertim à cœna, memoriæ cerebroq; valde nocet.

Quies

Quies superflua calorem debilitat; superfluitates retinet & aggrauat, ideoque lædit memoriam.

Somnus cibo propinquus, antequam scilicet descenderit cibus ad ventriculi fundum, infestissimus; sit igitur post duas horas: ac capite bene eleuato ac coopertoq; fiat: non tamen superflue, quia nimia coopertura vel caput debilitat resoluendo; vel replet attrahendo.

Nocet coitus frequens vel stomacho repleto aut famelico, vel quem nullus somnus aut quies sequitur, aut prope Lunæ coniunctionem, vel cum alia quam cum propria vxore.

Dormire calceatis pedibus, præcipue cum sotularibus, memoriam impedit, ob vaporum reflexum: visum debilitat, & corpus æstuare facit.

Crudæ herbæ comestæ, multum nocent memorię, vt plurimum similiter nuces, auellanæ, castaneæ.

Videre vel audire non placentia animo: & huiuscemodi animi symptomata.

Metus perimit memoriam, vel tristitia

per-

perſeuerans: nocet & cura rei familiaris ſollicita.

Somnus immoderatus, & vomitus laborioſus.

Acetum & acetoſa omnia ſed ſi vtendum aceto erit in pinguibus & pituitoſis, ſit ex potenti vino factum, calidumque ſit;& in exiguo aut raro vſu, & cum cinnamomo: ponaturque in vaſculo aceti calamus aromaticus ſeu galanga, & pulegium. Sunt qui dicant gallorum oſſa exſucta, veternum adducere.

Iuuantia particularia pracipua.

Fructuum ſtipticorum ex natura vel arte poſt comeſtionem moderata ſumtio, probibendo fumos eleuari, memoriam iuuat valde.

Temperatorum ciborum & potus, ſicut gallinarum & perdicum, præcipue cerebellorum earum temperata refectio, non tantum memoriam, ſed & totum corpus confortat, vtque animæ actibus nocet cacochymia: ita innocuos cuſtodit euchymia, præſertim in teneris annis, ob id ex plebeia fæce raro ſublime ingenium

genium surgit, nisi liberalis accedat educatio.

Ante cibum moderate & conuenienter exerceri non tantum memoriæ, sed & ceteris functionibus prodest, si autem motus longus, seu exercitium pro corporis robore laboriosum, vt superfluitates resoluat; sitque per loca amœna & sicca: ac si fieri potest, omnes corporis partes exerceantur.

Superfluitatum per intestina, per nares, per palatum, per os, aures, per vrinam, per capitis frictionem cum pectine conueniens & debita expulsio, confert plurimum virtuti memoratiuæ, si post somnum & ante exercitium fiat.

Visorum auditorumve frequens recordatio, memoriam corroborat & confirmat: nam nihil æque aut cura augetur, aut negligentia intercidit, ac ipsa memoria, quia nisi excolas & iugi meditatione exerceas, inertia situque corrumpitur.

Gaudium temperatum, & honesta delectatio præsertim meditatione scientiarum, non solum memoriam; sed virtutem

tem intellictam ceterasque virtutes corporis etiam augmentat.

Sæpe lauare pedes in aqua calida, in qua bullierint melissophyllon, folia lauri, chamæmelon, & similia memoriæ, capiti, oculisque valde confert.

Abluere caput decimo quoq; die cum lixiuio, in quo parum bullierint chamæmelō vel asarum, melissophyllon, saluia, amaracus, siue samsuchus, lauri folia, vel similia, additis in æstate rosis, memoriam corroborat & confirmat, vt in capite etiam sequenti latius dicetur.

Stare pedes post comestionem, vel suauiter deambulare, quo cibus ad fundum descendat ventriculi, multum expedit & confert, ob bonam ciborum concoctionem.

Coriandri bene præparati, & saccharo inducti post cibum assumptio, prohibendo fumos ad caput ascendere, memoriam iuuat: id præstat & Diacotoneon.

Masticatio mastichis cum modico zingibere facta ieiuno stomacho, ab hu-

miditate phlegmatica ſine moleſtia caput purgat, indeque præpedita confortatur memoria. Galanga naribus indita cerebrum roborat frigidum.

℞. Thus albiſſimũ, tere in puluerem, pone in pura & ſimplici frigida aqua, bibe in augmento lunæ in ortu diei, meridie, & ſolis occaſu, facit bonam memoriam acutum ſenſum, exſiccãs cerebrum & ventriculum.

Tradit Simeon Sethi, fel perdicis arteriis temporum illitum vt penetret, ſemel in menſe ad memoriam confirmandam prodeſſe plurimum.

Melyſſophyllon confirmat eam, & ingenium acuit, hominemque quocunque modo comedatur herba, facit induſtriũ: quod etiam naſturtium in frigidioribus & ſegnioribus efficere poteſt, vnde natũ eſt in ſegnem adagium; Ede naſturtium. Meliſſa præter hæc animi tranquillitatem præſtat, ſaporem capiti iucundum inducendo. Turturis caro ingenium auget, vt aiũnt.

Gallinæ cerebrum ingenium & memo-

moriam iuuat, adeo vt aliquos qui delirare cœperant, resipiscere fecerit.

Semen ozimini seu scherleæ domesticæ fertur ad recuperandam memoriam mirabile, si in puluere sumatur cum aliquo potu aut cibo. Item eboris limatura conducit obliuioni, si parum de ea in vino modico sumitur mane.

Item granum vnum thuris albi cum lectum petis, maxime conducit solũ transglutitum: nam capitis humiditatem exsiccat & ventriculi, ac ita memoriæ confert: facito hoc post purgationem bis terue in hebdomada, si multa adsit humiditas.

Plirisarcoticum confectio, duarum drachmarum pŏdere hora somni assumta, vel myrobalanus chebulus conditus sumptus in aurora horis quatuor ante cibum, beneq; mansus semel in hebdomada memoriam restaurant ab humido læsam præsertim: nam roborant intellectum, & iuuentutem fere conseruant myrobalani chebuli conditi.

Memineris in materia humida prius

fieri euacuationes: nam materia humida plerumq; est debilitatis memoriæ causa, vt superius dictum est.

Nonnulla probatiora selectaq; medica remedia composita seruantia multumq; augentia memoriam.

Antidotum mirabiliter cõferens memoriæ, lethargiæque vel obliuioni: ventriculum confortat, & omnia debilitata membra ex phlegmate & frigore.

℞ Gingiberis, galangæ, mastiches, cumini origani ana ℈ vj. nucis muschatæ, calami aromatici, asari, carpesiorum, j. cubebarum, ligni aloes, maceris, seminis apii, ammios ana drach. 2. thuris albi, caryophyllorum , cardamomi zedoariæ, pyrethri, castorei, piperis longi & nigri, costi, cyperi ana drach. 3. menthæ siccæ vnc. med. terantur & puluerizentur omnia, ac cum penediarum & mellis despumati quantitate sufficienti fiat ecligma. Cuius modus vsus, & reliquorum sit, præsertim tempore frigido vel non calido multum, & per interualla.

Pilulæ quæ languenti cerebro conueniunt,

niunt, præsertim senioribus ac frigidis. ℞. succini odorati seu ambræ electæ drachm. 1. ligni aloes, scrup. ß. cubebarũ scrup. duos: cum vino meracissimo, pilulas confice quindecim, da binas ante cœnam. Catapotia ad memoriam efficacia. ℞. Cubebarum, calaminthæ, nucis moschatæ, caryophyllorum sing. drach. 1. ß. thuris optimi, myrrhæ electæ, ambari Orientalis sing. drach. 1. ß. moschi gran. 5. cum aqua maioranæ pilulas confice, præbe vnam, hora decubitus: duas vero in solis ortu & horis 5. ante cibum, hieme per mensem vere & autumno rarius.

Pomum odorandum pro memoria: ℞. Radicum iridis drach. 1. ß. seminis seselis, id est, sileris montani, stœchadis ana drach. 2. nucis moschatæ drach. med. menthæ drach. 1. ambari (vulgo ambræ) thuris, calamenti, styracis, ligni aloes, ana drach. med. ladani quantum sufficit, fiat pomum secundum artem; quod tamen ex calidioribus fiet hieme, & minus calidis in æstate.

Probatissimum exprimentum ad in-

genium & memoriam, quod ferunt esse Aristotelis. ℞. Vrsi pinguedinem, quam habet in humero seu spatula dextra, eámque repone in vesica ipsius vrsi simul cũ eius vrina, & simul stent octo diebus; tum extrahe, & accipe succum ormini siue scharleæ domesticæ, eufragiæ, verbenæ, buglossi, phu seu Valerianæ, aloes, omnium æqualiter, & simul misce cum prædicta pinguedine super ignem cum lignea spatula agitando, quoad fiat vnguentum spissum, ex quo cũ volueris, accipe quantitatem paruæ fabæ, & vnge frontem & tempora fricando aliquantisper, & audita recordaberis.

Lixiuium pro ablutione capitis humidi frigidiq; confortatiuum, & memoriæ conferens; debet autẽ esse ex cinere farmentorum vel quercus, postea intus hæc bulliãt. ℞. Acori veri, stœchadis, foliorũ lauri, rorismarini, iuæ, saluiæ, ana manip: vnum: ex isto lauato caput; post vero ablutionem aquę vitę modico sinciput madefacito, & sequenti puluere aspergito. ℞. pulegii, calamenti, caryophyllorum,

san-

sandaracæ, macis, stœchados, mēthæ siccæ, maioranæ, ana ℥. v. misce & fiat puluis subtilis, & post inspersionem superpone stupam canabis, aliis quoq; diebus ingrediēs lectum pone super capitis bregmate ex puluere illo etiam illoto capite; nam siccat, &c.

Aliud lixiuium ad confortandum caput & memoriam. ℞. Hederam muraralem, rosmarinum, laurum, stœchadem, marrubium aut betonicam, & bulliant in lixiuio, quo caput laua. Idem fere operantur cupressi nuces, frequenti vsu. Sed vt cum lixiuio saponem quoq; habeas ℞ Saponis Veneti seu Gallici ℔. 2. calami aromatici drach. 3. maioranæ thymi, stœchadis Arabici, nigellæ: caryophyllorum cardamomi, sing. dra. 2. radicis iridis siccę & odoratę vnc. 1. misce, ac cū sapone subtiliter inciso aut deraso excalfacto, misce ac fac massas seu pilas in modū nucis iuglādis; si simul ob siccatem rerū cōmiscere non valeas, adde parū aquæ maioranæ vel alterius cōuenientis. Postea bene exsiccetur caput linteis calidis cōfricando:

nec caput prope ignem teneat, ne vapores trahantur ac repleatur caput.

A'ud in humido capite, quo bis vel semel in hebdomade vtendum. ℞. Senæ, rosarum, florum chamæmeli, acori, stœchadis, foliorum lauri, nucum, cupressi, saluiæ, iuæ, baccarum hederæ, partes æquales, hæc in hieme bulliant in lixiuio pro lotione capitis, at in æstate remoue stœchadem, & rosas adde, ac aliqua myrti grana, & minus calido vtere.

Optimum remedium aliud, sed longe difficilius paratu. ℞. Florum citrullorum siccorũ, buglossi, rorismarini ana drach. duas, chamæmeli, violarum, rosarum ana drach. 1. med. seselis drach. duas, seminis viticis, rutæ campestris ana scrup. 4. foliorum lauri viridium maioranæ, stœchadis, saluiæ, florum sambuci, artemisiæ ana drach. 3. contundantur optime & cõfundantur in ℔. 3. aquæ vitæ optimæ, & vnc. 6. aceti albi scillitici fortissimi ac simul quiescant duobus diebus in vase vitreo bene cooperto, & postea destilla ad cineres cum suaui igne: deinde ℞. olei de

tere-

terebinthinæ destillati optimi ℥. 18. olei de been destillati ℥. 8. prædictæ aquæ destillatæ ℥. 14. loco olei de been potes accipere olei destillati de adipe vrsino, sed melius si de vtroq; acceperis partem mediã, si vero neutrum repereris, recipe oleum sambucinum: adde prædictis rebus capillos hominis bene adustos, nam à ꝓprietate euigilare faciunt, & excitant lethargicos, misceantur & distillentur in vase vitreo vsque ad extractionem totius aquæ, & aquam ipsam seorsim serua, deinde recipe euphorbii drach. quatuor, piperis longi drach. 3. ß. cumini drach. iij. thuris masculi clari vncias ij. & drach. ij. mastichis myrrhæ electæ ana vnc. j. anacardorum bene contusorum vnc. 1. dra. 2. carpobalsami drach. 4. pulpæ castorei drach. med. myrobalanorum emblicorum drach. 4. ß. opopanacis vnc. 3. serici crudi minutimque incisi drach. j. ß. costi radicum peoniæ feminæ, cyperi electi ana scrup. quatuor, ladani drachm. 3. sanguinis draconis, id est, gummi ita ob similitudinem dicti drach. ij. ß. bdellii clari

drach. 6. pulverizanda pulverizentur optime, & omnia infundantur in prędicto oleo toto, & sic quiescant in balneo temperato, simul in vase vitreo bene obturato diebus quinq; sed singulo die arundine sicca commoueantur miscendo, postea colentur, & optime exprimantur cum panno rudi prius infuso in aqua & bene expresso. Et oleum postea taliter expressum destilletur, vel fiat sicut in destillatione olei deladano fit, videlicet primo incipe cum igne carbonum leui ad fornacem, donec leuiter ebulliēdo incipiat communiter destillare, de hinc procede cum leui & pauca flamma, & quandoq; interpolata, donec liquidum & subtile destilletur, quasi totū ex appositis oleis, idq; scire poteris ex visu; sed melius ex pōdere olei destillati; postea procede cum igne carbonum mediocri, omittendo omnino flammam & destillatum seruetur in vase vitreo bene clauso. Demum recipe Galliæ moschatæ, caryophyllorū, macis, cubebarum, nucum moschatarum, cardamomi, ana scrupulos quatuor, spicę

cala-

calami aromatici, corticũ citrei exteriorum, an. scrupulos ij. ligni aloes boni dra. 2. ß. ambari electi, drach. 3 ß. moschi optimi, drachm. 2. ß. pulverizentur omnia subtiliter, & misceantur cum toto prædicto oleo destillato, sicq; simul quiescant duobus vel tribus diebus in calore temperato, & postea iterum destillentur arte sua, & ad subtilem substantiam reducantur, seruenturque in vase vitreo forti, bene clauso cum cera, & est optimum. Vtẽdi modus talis est, vt prius si oportet facta purgatione totius vel capitis, eo vtaris incipiendo mense Nouembri per dies quinquaginta cõtinuos, postea semel omnib. octo diebus; postea solum quãdo vis memorari, capiẽdo illũ in sero præcedenti ante mane quo vis recitare vel cõcionari. Optimũ itidẽ in frigido affectu erit oleũ sequens. ℞. Terebinthinæ resinæ si haberi potest (nã ex Cypro vt plurimũ Venetias adfertur) vel eius loco laricinã sume libræ vnius põdere; laterũ antiquorũ post coctionẽ haud madefactorũ, qui in frusta redacti, ac igniti exstinctiq;

in oleo veteri oliuarum fuerint, ℔. ß. mastiches vnc. 1. terantur lateres, & cum resina bene commixti modo chymico in vase vitreo bene incrustato, igni clibani aut fornaculæ adponantur, liquoresque manantes seorsim colligantur; nam tres varii coloris defluent bonus, melior, optimus.

Vnguentum in idem: ℞. Adipis vrsi, capi, gallinæ, vaccæ, & gummi hederæ, ana pondus æquale omniaque alembico vitreo destilla suaui igne, quo oleo vnge tempora & pulsus manuum, ter in hebdomada, & rem optimam senties.

Vnguentum quo tempora vnges mediocriter in tempore frigido tantummodo: ℞. Talpæ pinguedinem vrsi, mustellæ, castoreique ana succi betonicæ, & roris marini ana; ex omnibus confice vnguentum, quo vtebatur, vt fertur Aristoteles.

Vt profunde memoria teneas & perpetuo, vtque velociter apprehendas hoc vsi sunt multi magni viri, ℞. Radicum linguæ bouinæ, radicum Valerianæ ana vn-

vncias quatuor, radicum rutæ vncias duas: fac inde pulueres subtilissimos, postea recipe succum eufragiæ scharleæ siue ormini, verbenæque ana vncias iiij. coletur bene succus per pannum, postea misce succos simul, & pulueres separatim, postea recipe medullam anacardorum vnc. vnius pondere, & fac puluerem vt supra. Item recipe linguæ auis, id est, semen fraxini, & fac puluerem subtilissimum, postea misce omnia prædicta simul, scil. succos & pulueres, & accipe sartaginem terream vitreatã, & pone ad ignem, intusq; pone ex vrsi pinguedine, & funde seu liquefac paulatim, & intus proiice dictos pulueres cũ succis miscendo semper, apponendo de dicta pinguedine quousque fiat vnguentũ subtilissimũ, quo vnge tẽpora & partẽ memoriæ, & frontẽ, & verticis partem versus nucham: hocq; ter vel quater in anno facies, & continuabis sic vnguendo, etiam prout magis aut minus oportebit: hoc enim in virtute excedit superstitiosam artem notoriam.

Ad idẽ Rec. Octo calices aquæ cõmu-

nis, foliorum hederæ, stœchadis, ana ℔. j. ß. ponantur simul in aqua ad bulliendum fere ad consumptionem aquæ, postea coletur beneque exprimatur, & intus pone modicum terebinthinæ lotæ cum rosacea, postea caput laua cum bono lixiuio, & post exsiccationem vnge cum prædicto liquore tempora & occiput.

Pomum odoriferum ad confortationem cerebri frigidi ℞. Ladani, ligni aloes, styracis, ana drach. j. caryophyllorum, nucis moschatæ, seminis ocimi ana dra. med. cum aqua rosacea, in qua nonnihil moschi & ambari dissolutũ sit, fiat pomũ.

Ad habendam profundam memoriã, vel si quis eam ex debilitate vel infirmitate amisisset: valet etiam vertigini. ℞. Roris marini, id est, libanotidis, boraginis, chamæmeli, violarum, rosarum ana vnc. vnam, stœchadis, foliorũ lauri, maioranæ, saluiæ, ana vnc. ij. omnia incide & & pone in optimo vino, & post diem destilla per alembicum vitreum aut vitreatum, & destillatum serua, in quo pone terebinthinæ odoratæ ℔. vnam, thuris albi vn-

vncias viij. masticbes, myrrhæ, bdellii, anacardorum ana vnc. quatuor: omnia tere, & dimitte sic stare per dies 5. cum destillatione cooperta, postea destilla in tãtũ cum igne fortiori, donec ex eis oleum habeas, quod serua bene clausum in ampulla vitrea bene cum cera & pergameno obturata, modus vsus talis est. ℞. ex eo quantum caperet cortex auellanæ per os, & vnge etiam partes memoriç, scilicet occiput & quasuis partes iam dictas, optimum experieris

Possem hic plura etiam vtilia remedia aggregare, sed hæc sufficient, & viã struent aliis pro occasione parãdis: nam breuitati studui, & meliora ex bonis selegi, nec penes me, vt nec Christianum decet, latere volui: plura & non spernenda cõposita reperiet, quicunq; apud Antoniũ Fumanellum Medicum Veronensem, in opere suo, De compositione medicamẽtorum, c. 16. Hic ea non transcripsi, ne actũ agerem, quamuis meis aliqua ex parte consonent illius nõnulla, eligat quisq; quod sibi conueniens sit, & qui nescit,

me-

medicum consulat doctum, meminetitque nihil sine labore fieri aut parari dignum laude, nam omnia proposuit labori Deus: nec sunt spernenda media illi, qui finem assequi desiderat: cũ nec iuxta physicos, ex extremo ad extremum perueniatur, sine medio cõuenienti: enimuero segnium est non optima quæq; sibi ad imitandum proponere, vt si eo pertingere non valeamus propius saltem, quam fieri potest accedamus, quamuis non ex omni ligno (vt adagio fertur) Mercurius fit.

Philosophica consilia, & canones, & reminiscentiæ præcepta.

Vt Aristoteli placet, duo sunt memorationis actus, memoria scilicet, & reminiscentia: quanquam reminiscentia respiciat ea, quorum sumus obliti, sitq; existimatiuæ seu cogitatiuæ virtutis officiũ non principaliter memoratiuæ, vt Auerroes, & Albertus in suis tractatulis voluere: vel dicas, facultatem illam reminiscédi esse mentem & intellectum, vt Themistius voluit; quoniam nulla facultas videtur discurrere, nisi intellectus. Hæc a.

sine

ſine obiecti præſentia in homine ſolo eſt; nam cum obiecti præſentia etiam in brutis reperitur, vt Ariſtoteles innuit, & in cane venatico ſatis patet: diciturq; ſenſus phantaſticus.

Memoria vero eſt retentio imaginum prius ab anima perceptarum: quæ tamen neq; vtilis eſt, niſi & omnes retineat, & eo ordine, quo eas concepit, reddat: non eſt autem præſentium, neq; futurorum, ſed præteritorum tantum, vt inquit Ariſtotel. Memoria rurſus & reminiſcentia: quamuis eidem ſubiecto genere competunt: differunt tamen aptitudine, quoniã bene reminiſcentes communiter male memorari conſueuerint: tempore item memoria ſemper reminiſcentiam præcedit, non enim quis reminiſci poteſt, niſi ex his, quorum habet memoriam: hæc etiam multis aliis animalibus cõceſſa eſt, illa vero ſolis hominibus: nam cum reminiſci ſit velut ſyllogizare, id eſt, ex notis ad ignota deuenire, hoc vero propriũ ſit hominis, inde fit & reminiſcentiam hominis eſſe munus, vt ſuperius innui.

Ad

Ad memorandū quatuor motus concurrunt: primus est motus spirituum, quia cogitatiua ad memoratiuam figuras aut species transportant. Secundus est pictura, fixioq; figurarum in ipsa memoria.

Tertius est reportatio à spiritibus, à memoratiua ad cogitatiuam seu ratiocinatiuam. Quartus est illa actio, qua cogitatiua recognoscit, quæ proprie est memorari. Dicimus etiam, quod actus memoriæ vel reminiscentiæ supra tres res, quasi tria obiecta per se cadit, videl supra rem alias apprehensam, supra actum, quo illa res alias apprehensa fuit, & supra tempus determinatum vel indeterminatum in quo apprehensio illa fuit.

Ad cuiuslibet harum rerum defectū necesse est deficere etiam memorationē. Quapropter etiam bene memoria sic definietur, quod sit Apprehensio in anima existentium specierum, cum indagatione & inquisitione: sed de his in primo cap. iam dictum Nunc de artificiosa memoria dicere instituentes, quæ oporteat de se præstare volentem memorari præscribe-

bemus. Erunt autem pro nunc præcepta viginti, ſed breuibus verbis complexa.

Primum iudicato (hoc & ſimilia ſint dicta iunioribus ſtudioſis) ſtudia quæ ſequeris omnium præſtantiſſima: & te felicem, ſi conſequeris ſapientiam, & ſapientem audias præceptorem, quem etiam cogaris admirari: plurimum enim memoriæ conducit, ſi, quæ aut leguntur, aut audiuntur, cum admiratione ac volupta-te incidant.

2. Eam ſcientiam iudicato difficilem & perpaucis bene cognitam, quia inde oportet ingenium aſſurgere: & id vtile eſt memoriæ.

3. Attente & accurate audias præceptores: ſimiliter ſi legeris, facias; ad ſtudiũ omnes animi vires congregando: nec vagetur mens tua, ſed coge illa ibi eſſe, aut paruo murmure eam reuoca; ille enim eſt docilis auditor, qui attente paratus eſt audire: nam ex diligenti attentione maior fit motus, ac impreſſio firmior. Vnde Terentius: Vbi intẽderis ingenium, vales.

4. Cum multa ſis collecturus, quan-

tum

tum fieri poteſt, ad paucitatem breuitatemq; reduces, aliter enim addiſcens, aliter memoraturus procedit: nam qui addiſcit, gen⁹ in ſpecies ſecat vſq; ad ſpecialiſſima, qui vero vult memorari, multitudinem in vnũ, vel ſaltẽ in pauca redigit.

Verſus quoque ad memoriæ fidelitatem conducunt; propter compoſitionis ordinem, & ſtructuram haud temere vagantem, ac ſparſam, ſed certis concluſam limitibus, vt animam non patiantur aberrare.

5. Ordo ante omnia diligatur in diuiſione corporis in mẽbra, ſic tractatus in capita, & capita in concluſiones ſecabis.

6. Singula ſæpe repetenda, ita vt cum vnũ caput & ſequens pariter didiceris, & primum & ſecundum ruiſus animo repetes: & cum tertium didiceris, rurſus à primo inchoandum erit, & ſic ſucceſſiue.

7. Complexurus multa, membratim ſecabis, ne diffuſa multitudo memoriam confundat. Vnde Poëta ille: *Scire ſi vis hanc rem, tota ſit ſeparata minutim.*

8. Sit tibi frequens & diuturna de eadem

dem re cogitatio, vel cum aliis disputatio, vel alteri declaratio, ex frequentatis ènim actibus generatur habitus, qui est memoria. Nec à disputatione deterreat erroris timor: nam tenacius retinebis, quod didiceris cũ rubore: vnde Seneca: *Memoria nihil perdidit, nisi q; sæpe non respicit.*

9. Conare vt intelligas, quæ volueris memorari; neq; ita curãdum est, vt multa legas, quam vt multa intelligas; aut pauca multum legas, eorum præsertim, qui non nugis chartas implent.

10. Caue ne obsint memoriæ literæ, ne scilicet illa, quæ scripseris in memorabilium libello, ea veluti certa & alligata tenens, custodire desinas, & ipsa securitate fidens, è mente dimittas. Clarũ est in hoc Antisthenis Atheniensis exemplum, qui amico cuidam deploranti, quod cõmentarios suos perdidisset, Oportuit, inquit, ista potius animo quam chartis inscribere: sentiens, librorum fiduciam esse caussam quo minus memoriam exerceamus.

11. Procuranda est cibi concoctio, &

quæ

quæ obsunt memoriæ, fugienda sunt, & sint in vsu, quæ illi conferunt, vt supra c.3. & 4. dictum est.

12. Liberandus est animus ab aliis cogitationibus, ab his scilicet quæ studium non respiciunt: nã: Pluribus intentus, &c.

13. Non audienda tantum, sed etiam videnda sunt, quæ volueris memorari: nã semel videntes magis memorantur, quã identidem sæpe sæpius audientes.

14. De quibus interrogatus fueris, confestim ne respondeas, id est, absq; meditatione, nam subita responsio semper inconsulta est.

15. Metiri debes vires ingenii tui, tuęque memoriæ, ne ingeras illi plus, quam semel capere possit aut tenere: exemplũ à stomacho sumendum, quia si supra vires oneretur, inualidior fit, non enim concoquit, nec impinguatur corpus gulosi; ita quicquid addiscitur, nisi retineatur, parum prodest; ideo si, quantum oporteret, retinere non poteris, numerum multiplicabis, & cõtinuam imminues quantitatem.

16. Cer-

16. Certas horas studio constitues illas præsertim, quibus à cibo stomachus seu ventriculus erit vacuus: tunc enim ingenium vaporibus non obtenebratur: horæ conuenientes erunt conticinia, & matutini galli cantus, curabisque, ne aliqua ratione fortunę deseras tempora studio decreta.

17. Vesperi quotidie, quid discẽdo lucratus fueris, repetes, imitatione Catonis qui, quicquid die fecisset, legisset & dixisset, in crepusculo commemorabat.

18. Memoria est à teneris exercenda, vt & in iuuene & viro promptior sit & pacatior: multum autem refert, quo quis doctrinę genere à teneris imbuatur: nã:

Quo fuerit imbuta recens seruabit odorem Testa diu.

Omnia enim pueris noua sunt: noua autem & admirabilia fortem faciunt in memoria impressionem.

16. Ad animi recreationem viriumq; reparationem non ad obscœna confugies, sed mutato id facies studio: remittere enim animum, quã amittere, melius est.

Se

Sed & ludicra Christianorũ debent esse seria. Post studia igitur seria vel grauia ad leuiora confugiendum, vt ad historiam vel exercitia musicalia: nam vires reparat alitq; tempestiua quies, ac etiam maior est post otia virtus. Sunt, qui ludere malint, ꝙ quidẽ cõceditur, si ludus sit ludus, & non res seria: sitq; breuis, honestus, sine dolo, vel damno aut cupiditate. Mouet ingenium ludus duodecim scruporum, quẽ moderni scaccorum nominant, sed in eo nimis sæpe adhibetur temporis & studii, quod præstaret melius collocare. Paruæ pilæ ludus etiam toti corpori proderit: deambulatio præcipue capiti: vtilius erit simul disputare & inambulare, manusq; mouere. Hæc animi recreatio non sit diuturna, neq, frequẽs, & præsertim horis studii non agatur. Reuolandum est statim ingenio cõfirmato ad studia literarum, ne tempus depereat, quo nihil carius, agendumque, vt quod deperditum est, auido studio recuperetur. Namque (vt ait Philelphus:)

Ludus, crede mihi, nullus tibi pulcrior alter,

Nec

Nec melior quisquam, nec quo magis omnis acerba
Cura laborq; vacet, quam si virtutibus almis
Te penitus dedas, virtus leuat aurea curis,
Lætitiaq; animum reficit, redditq; beatum.

20. Ne discedas à præceptoribus, antequam deceat. plures enim scientia in summos euaderent viros, nisi prius esse discipulos puderet, quam sapere valeant. Proderit & alios docere, dictare, declarare, interrogare, ac respondere: dubitare de nonnullis bonum est, modo id sine ratione non fiat.

Vltimo, inter infelices dies illum computabis, quo aliquid non profeceris, didicerisve, quod tuum esse possit, vt nulla dies sit (vt in adagio est) sine linea.

Præcepta reminiscentiæ.

Primum præceptum est, ex ordine & reminiscibilium consequentia; cum enim didicerimus ordinatim aliqua connexione & dependentia quadam ordinata, & de illorum aliquo obliti fuerimus, id facile reminiscemur ordine re-

petitio: cognito enim antecedente, facile in consequens deducemur, & deperditum inueniemus. Recte igitur dicit Philosophus; Quæ bene inuicem ordinata sunt, bene reminiscibilia sunt: quæ vero male, difficulter in memoriam reuocantur. Facile enim gesta recensemus, cum eo ordine in oratione collocantur, quo facta sunt: quoniam sicut se habent res gestæ ad inuicem, ita se habent, & in mouendo animam.

Secundum, vt vno simili in consimile prouehamur: vt si Homeri non recordamur, Latinorum poetarum principem Virgilium memoramur, ex quo facile in Homerum Græcorum vatum primarium descendemus.

Tertium est, vt aliquando contraria cogitemus: qui enim memor erit Hectoris, reminiscetur & Achillis.

Quartum est, loci ac temporis recordatio, in quo res tractata est, locus enim & tempus facile rem adducit memoriæ Sunt etiam tres argumentorum sedes, à similibus, à contrariis, à propinquis.

Quin-

Quintum est, res omnes à proprietate repetere: vt si sagination memoriam habere velimus, ad Dionysium Syracusanum descendamus, vel recogitemus, qui vt auctor est Iustinus, præ sagina visum perdidit.

De locali vel artificiosa memoria.

Artificiosa memoria est dispositio imaginaria in mente rerum sensibilium, super quas memoria naturalis inflexa per eas admonetur, vt memoratorum facilius, distinctiusque recordari valeat; ac (vt inquit Cicero secundo ad Herennium) ex locis veluti ex cera aut tabella, & imaginibus veluti figuris literarum constat. Sic enim fieri solet, vt quæ accepimus, quasi legentes reddamus: neque multum intersit, an à vertice, an à calce incipiamus. Locos ipsos ordinatos esse oportet: nam si in iis confusio sit confundantur omnia necesse est. Multos etiam eos esse decet, vt multa locari eadem exercitatione possint; Cicero centum eos esse debere iudicat. Thomas Aquinas

plures habendos consuluit. Hos multi variis artibus quæsiere. Methrodorus in signis duodecim, per quæ sol meat, tercenos & sexagenos inuenit locos: quod tot gradibus apud Astrologos zodiacus secari soleat; Cicero familiarem domum finxit, locis discretam multis, placuitque illi, vt inter locorum quinaria, vel manum auream, vel aliud quid discrimen figuremus, quo alter ab altero secernatur; in eisque immobilem ordinem haberi, vt semper dextra ingrediamur & egrediamur. Quidam non ignauus auctor ex animalibus locos fingebat, & eorum ordinem ex alphabeto Latino deduxit, vt à singula littera vnius animalis nomen inchoaretur, perinde ac si nomina hęc essét: Asinus, Basiliscus, Canis, Draco, Elephas, Faunus, Gryphus, Hircus, Iuuencus, Leo, Mulus, Noctua, Ouis, Panthera, Qualea, Rhinoceron, Simia, Taurus, Vrsus, Xystus, Hyena, *Zachæus*: Philosophus (qui de his scripsit) hæc singula in quinque locos diuidebat, in caput, in anteriores pedes, in ventrem, in posteriores pedes, &

& caudam: nam hunc ordinem ipsa natura porrexit: neque confundi in eis enumerandis ingenium potest. Sic itaq; centum & quindecim locos nactus, in eis rerum memorabilium imagines sculpebat, ac etiam in loquentis facie multa ingenio scribi præcipiebat, in capillis, in fronte, in oculis, sicque deorsum ad pedes descendi. Mihi vero facilimum videtur non modo centum, sed propemodum infinitos locos reddere & effingere: cum neminem lateat ciuitatis originalis situs, vel in qua diu habitauit. Igitur cum per portam mens ingreditur, dum secantes se ad diuersas regiones vias cōsiderat, dumque amicorum domos, ædes publicas, prætoria publica repetit, miram locorum quantitatem assequetur. Accedet ad hoc potestas atria effingendi, in quibus quantum libeat, numerum locorum faciet, vt inscribi quæcunque voluerit possint. Et quia breuis atque efficax est doctrina per exempla, hinc exempla ponam, vt res facilius intelligatur, de decem ponam exemplum, & consequenter ex proportio-

ne habebitur vel de mille. Capio igitur domum magnam & vacuam, ad quam non frequenter ſed raro ire debes, & ſtatue primum locum qui eſt apud oſtium diſtans ab oſtio per tres pedes. Secundus locus ſit ab iſto diſtans per duodecim vel quindecim pedes, vt, verbi gratia, ſit angulus vnus. Tertius locus ſit à ſecundo diſtans per totidem pedes, vel duodecim, & erit forte alter angulus, vel medium inter angulum primum & ſecundum. Quartus erit angulus. Quintus, erit angulus diſtans per tantundem. Sextus conſimiliter; & finita ſcala, intrabis vnam cameram, atque intra oſtium immediate ſignabis ſeptimum, deinde in primo angulo cameræ octauum, & in ſecundo angulo nonum, & in tertio decimum cum ſua diſtantia. Si vis plura loco exeas cameram, & ſigna ſic alias cameras proportionabiliter. Nota tamen, quod diſtantia data mediocris eſt & conueniens, ſed ſi tanta diſtantia non inueniatur, ſed minor vſque ad octo vel ad minus quinque pedes adhuc tolerabile foret.

De

De templo ſcito, tale eſſe debere, quod non multum ſit frequentatum etiam à te, ne multitudine imaginum confundaris. Iſta loca debent eſſe ſigna memorabilia & manuductibilia, loci enim non ſunt anguli, ſed fixæ imagines in angulis ſituatæ, ſuper quibus ſicut ſuper charta aliæ pinguntur imagines delebiles, ſicut literæ. Vt, verbi cauſſa, primus locus ſignatur per vrinale, ponendo in eius loco vrinale. Secundus ſignabitur per pyxidem. Tertius per mortarium. Quartus ſignabitur per piſtillum ponendo illud ibi. Quintus per pugillare. Sextus per pedem leporis. Septimus per cribrum. Octauus per ſacculum ponendo ſimiliter ſacculum. Nonus per panem cereum. Decimus per cannas caſſiæ, &c. Et iſta nomina oportet mente ſemper tenere, & loca de quinto in quintum, vt quinarii loci menti ſemper habeantur: de diſtantia ſatis dictum. Scito tamen, quod vſque ad viginti quinque licet tranſire, nec vltra; ne fiat negatio in imaginibus. Et conſimiliter dicatur de quantitate quantum

ad altitudinem, ne ſint multæ altitudinis, ſed à quinque vſque ad duodecim pedes. Et notetur quilibet quintus, vt dictum eſt de ordine, de qualitate autem, vt non nimis lucidæ, nec nimis obſcuræ, nec nimium frequentes. Tranſeamus ad imagines, quæ ſunt res collocandæ: debent ita imagines nobis notæ in iſtis locis collocari cum motibus talibus, vt per eas valeamus memorari, verbi gratia, volo memorari de viginti nominibus, ſic faciam: in primo loco imaginem Petri mihi notiſſimi locabo, cum vrinali in manu plena vrina quam fundet ſuper Iacobum mihi notiſſimo, & ex iſto actu notabili, horum duorum memorabor, & ſic duorum nominum memoriam mihi fecero. In ſecundo loco ponam Martinum mihi notiſſimum (nam oportet imagines iſtas eſſe notiſſimas, vt cito in memoriam recurrant) qui ponet digitum ſuum in pyxide & extrahet vnguentum, quo cum digito orificium vnget ani Henrici mihi notiſſimi. In tertio ponam Andream mihi itidem notum, qui cum manu ex mor-

tario

tario extrahet emplastrum, quod ponet super faciem Francisci, vel alios ridiculos actus fabricando, ex quibus memoria de talibus nominibus confirmetur. Et ita pariformiter procedatur in aliis.

Similiter si recordari voluero alicuius cum suo actu, illum imaginabor cum re illius actus, vt si recordari velim alicuius comedentis ficus, tunc imaginabor, quod cum ficu aliquod festiuum faciat vel stupendum.

Si argumenta recordari vis, capias substantiam argumenti, & ipsam tantum locabis, quia totum argumentum haud posset locari, sicque de aliis rebus suo modo.

Rursus de figuris etiamnum disseramus his quinque præceptis.

Primum est, vt aut risum moueat figura, aut misericordiam, aut admirationem, facile enim inuenitur figura quæ affectum animæ conuertit. Exemplum huius est si in ore asini rabidi caput Antonii constituam morsibus fere confringi, cruorem effluere, auxilia petere, ac

passis palmis vociferari, nam fieri non poterit, vt cum voluero non videam hunc oculis mentis meæ, & reddere Antonium nesciam repetenti.

Alterum est, vt aut simile per simile, aut per contrarium figuremus, aut per proprietatem. Primi exemplum est, vt si nomen Galeni sim locuturus, alicuius illustris medici nomen scribã, cuius quoad fieri potest, aut par sit, aut paulo debilior auctoritas. Secundi exemplum est, si idem per indocti Medici nomen conscripsero; si Thersitem per Achillem, & bonum pro malo: informem per se formosum annotauero. Exemplum tertii est, si Ouidium Nasonem, per magnum nasum, Platonem per humerorum latitudinem: Crispium per anulatos capillos: Ciceronem per Gelasinum sculpsero.

Tertium est, vt à tenellis annis assuescamus locare, & cum quotidiana exercitatione crescamus, quanquam etiam adultis prodesse possit ipsa doctrina. Efficacior fit habitus, si quæcunque aut dicturi aut facturi sunt sic locent, quæcun-

que etiam inter fabulandum audiant: Sic pingant mores, gestus, temporaque sculpant: Sic enim breui tempore fient exercitatissimi. Ludere etiam prodest alterum cum altero, illum vincere qui plura clarius, ordinatius, velociusque retulerit.

Quartum est, vt omni quinario rerum signãdarum repetamus à principio quæcunque signata: solet enim repetitio valde conferre.

Quintum est, vt quæ non sunt simplicia, ea per componentium similitudines statuamus, verbi causa: qui memorari voluerit huius enunciationis. Cicero cum Hortensio disputat, Cicer legumen in horto finget, qui de horti ste.ilitate conqueratur: sic enim & cicer Ciceronem, & hortus Hortensium & querela disputationem repræsentat. Sic autem seruari solent & legum capita, vt si locanda illa lex sit, publicati testamenti fides. effingamus dicam testamentalem patentem, cui quispiam cœnum iniecerit: & eius fides aboletur. Ecce publicati semel testamenti fides relegi poterit. Verum hæc facilius

ſlent, ſi adſit doctrina & rerum memorandarum cognitio, neque deſit conſummata & inuicta exercitatio, cum exercitatio poſſit omnia: ita & Medicus medicinalia, & Iureconſultus plebiſcita facilius recordatur.

Locus igitur à cera ac charta vel tabulis (in quibus antiquitus multa ſcribebantur) ſimilis eſt & comparantur: imago autem literis ſeu ſcripturæ: nominum recitatio, lectio aut rerum lectarũ recitationi. Locus eſt pars vicaria memoriæ & inſtar illius capax: multiplicaturque per antrorſum & retrorſum, per dextrorſum & ſiniſtrorſum, per ſurſum atque deorſum, aliquid addendo vel diminuendo: multiplicabitur etiam menſurando longum, tranſuerſum & medium. Locorum regula breuiter & hoc ordine eſt, vt primo ſit locorum inuentio (de qua ſuperius dictum eſt) deinde ordinatio, diſtantia, fictio, ſolitudo, mediocris lux, diſſimilitudo, quantitas, loci quinti ſignatio per manum auream vel alterius metalli, illiuſque variatio, ne ſimilitudo confuſionem

ſionem pariat. Imagines ſunt ſimilitudines rerum in mente conceptarum, ſiue ſimulacrum, ſimile ex toto vel ex parte rei cuius recordari voluimus, imo pro ipſis rebus collocandis accipiuntur. Sunt vero in duplici genere, ſcilicet aut notæ aut ignotæ: notarum quædam animatæ aliæ inanimatæ: & tam animatarum quam inanimatarum, aliæ ſimplices, aliæ compoſitæ. Illud rurſus non obliuiſcaris, quod in collocandis imaginibus ſuper locis, ſemper res locanda eſt cum actu ridiculoſo, vel admiratiuo, vel crudeli, vel alio modo inconſueto: nam ridiculoſa, crudelia, iniurioſa, admiratiua, excellenter pulcra vel turpia, immutant ſenſus ac melius excitant memoriam, cum anima circa talia multum aduertat. Variantur quoque imagines per tranſpoſitionem literarum & per tranſſumtionem: vt ſi velim Romam recordari, ponam Deum amoris, qui vocatur amor: & pro tyranno lupum rapacem: Sufficit itaque nos methodum oſtendiſſe, quam qui ſequetur, haud difficile, modo exercitatio acce-

dat, multorum ac variorum sibi pro occasione debita, recordationem certam parabit: ignaui autem & otiosi torpeant, quibus omnia insensa sunt.

Vltimo epilogi vice ac veluti colophonem addam, quæ scribit Erasmus Roterodamus, lib. 3. Eccles. Ad natiuæ memoriæ vim natura felicem, accedat intelligentia, cura, exercitatio, & ordo ad memoriam confirmandam nonnihil opus, pollicentur & medici, & secundum hos Marsilius Ficinus: sed præter ea quæ diximus, plurimum confert perpetua vitæ sobrietas: nam crapula & ebrietas, vt ingenium hebetant, ita memoriam prorsus obruunt: officit etiam curarum varietas, & turba negotiorum officit & tumultuaria diuersorum voluminum lectio. Hanc præcipuam arbitror causam cur senectus sit obliuiosa: quod ea vis animi multitudine rerum obruitur: officit memorię pudor immodicus, auditorum nouitas, & anxia cura: pudor & nouitas vincitur assuetudine. Anxium studium officit ad hoc ipsum quod impendio affectat.

fectat. Alibi sic inquit. Optima memoriæ ars est, penitus intelligere, intellecta in ordinem redigere, postremo subinde repetere quod meminisse velis. Hactenus Erasmus. Si vis igitur rerum bonarum pollere memoria diligenter curato, vt eius quod ediscendum est, certam intelligas rationem: Ratio enim est indissolubile veritatis & memoriæ vinculum. Ob hoc forsitan Plato inquit, quod bene intellectum est semel, obliuioni omnino tradi nunquam posse. Ea quoque memoriæ tradenda sunt, quæ non solum vtilia sunt, sed & iucunda: nam alimenta quæ suauissimum saporem afferunt, facilius in naturam nostram transeunt atque conuertuntur: & quo auidius quid haustum est, eo diutius retinetur. Adde his, quod obseruandum omnino Aristoteles & Simonides arbitrantur, vt certus quidam in ediscendis ordo vel insit, vel saltem excogitetur. Ordo in proportione quadam & connexione consistit. In his autem quæ ordinata serie digesta sunt, si quid vnum acceperis, reliqua continuo ne-

necessaria quadam vel naturæ vel artis continuatione sequuntur. Obseruandum insuper, vt sæpenumero, quæ didicimus meditemur, sic enim alimenta animi concoquuntur, & quasi conuertuntur in animum. Confert etiam quam plurimum si quis eleganti oratione cantuque suaui, quæ memoriæ mandauit sæpe recenseat, vt dictum supra est. Voluptas enim rerum condimentum est, amoris esca, incitamentum ingenii, voluntatis pabulum, roburque memoriæ. Purganda est etiam anima à malis, vt impleatur bonis: orationeque ad Deum fideli petendus est spiritus sapientiæ vel scientiæ per Dominum nostrum Iesum Christum, cui cum patre & sancto Spiritu sit honor, laus, & gloria semper.

Sed vt ab animalibus & vegetabilib. ad cœlestia reuertar, eodem plane quo Mercurii, modo & forma reliquorum planetarum vires atque influxus conciliari poterunt, vt pro honoribus & dignitatibus, principum ac Magnatum fauore atque beneuolentia impetranda, imago Solis

ex-

existentis in Leone & domo decima, in trigono Iouis vel Lunæ : impeditur tamen hoc anno 1608. Solaris influxus ob Martis oppositum ex aquario, quod ipsius etiam aëris insignes ac insolitæ mutationes aperte demonstrant. Vnde in his figuris formandis vnice spectandum, vt is Planeta, cuius quis sibi virtutem & influxum cupit conciliare, ab omni impedimento sit liberrimus.

Verum, cur & vnde annuli, imagines & figuræ in certo metallo vel lapide sculptæ, creditas habeant vires, non temperamento, non manifestis qualitatibus, non toti substantiæ est assignandum, sed diuina & Magicæ, hoc est, superiori cuidam & sublimiori causæ, quam non inconuenienter Spiritale vehiculum & vinculum quidam appellitarunt : hoc mediante corpus & anima substantiæ inuicem distantes copulantur inuicem, hac Magnes trahit ferrum, cichoriumq; motum Solis insequitur.

Hoc vehiculo & vinculo intercedente seu interueniente Mercurius efficax

est

est in hydrargyro, memoria & cogitatiua acuenda vel debilitanda, alectorio lapide, colore & sapore mixto, Ægypto, Græcia, Anglia, Flandria, Silesia.

Hoc vehiculo interueniente, Luna efficax est in argento & vitris, cerebro, oculo sinistro viri, mulieris dextro, colore albo, cœruleo & cineritio, sapore salso, mediocri odore, crystallo, climate septimo, Flandria, Hollandia, Selandia, Dania.

Saturnus in plumbo, aure dextra, splene, vesica & ossibus; colore nigro, liuido & plumbeo, sapore stiptico, lapidibus nigris & obscuris, climate primo, orientis dextro, Saxonia, Styria, &c.

Iupiter in stanno, pulmone, costis, pulsu, semine, aure sinistra, colore fusco, purpureo, flauo, viridi: Smaragdo, Sapphyro, Amethysto: sapore dulci, Climate secundo, septentrione, Babylonia, Perside, Vngaria, Hispania.

Sol in auro, corde, arteriis, oculo dextro, latere dextro: colore aureo, croco, subruffo: hiacyntho: sapore acuto & acri, odore

odore bono, non excedente: Climate quarto, Oriente.

Mars in ferro, aure sinistra, felle, renibus: Iaspide; sapore amaro, felleo, acuto: colore rubeo: climate tertio, Septentrione, Sarmatia, Getulia, Longobardia, Gotia.

Venus in Cupro & omnis generis speculis: matrice, renibus, mammillis, gutture, genitalibus, epate: colore albo: sapore vnctuoso, dulci & pingui: margaritis, Sapphyro, & carbunculo: Climate quinto, Austria, Arabia, Campania, Polonia, Heluetia.

EPILOGVS.

HActenus de admirandarum & occultarum in natura actionum principiis, & causis, stupendisque arte Magiæ naturalis productis effectis nonnullis in præsentia tum egimus, quę si tibi placuisse animaduerterimus, maiora & plura, quæ hunc in diem vsque plane latuerunt, tibi dabimus. Interim hisce vale, & fruere.

FINIS.



